





ANTIQVITATUM BOREALIUM

OBSERVATIONES MISCELLANEÆ.

SPECIMEN QVARTUM.

QVOD

LOCO PROGRAMMATIS

AD

AUDIENDUM D. . ET SEQQ. AUGUSTI

IN

SCHOLA LATINA HAFNIENSI

EXAMEN PUBLICUM

OMNES

REI SCHOLASTICÆ PATRONOS

FAUTORES ET AMICOS

QVA PAR EST OBSERVANTIA INVITATURUS

SCRIPSIT

SCULO THEODORI THORLACIUS,

SCHOLÆ METROPOLITANÆ RECTOR, REGI A CONSIL. JUST. ET SOCIETATIS REG. SCIENT. NIDROS. SODALIS.

HAFNIÆ,

TYPIS AUGUSTI FRIDERICI STEINII.

M DCC LXXXIV.

ANTIQUITATUM BOREALIUM

OBSERVATIONES MISCELLANEÆ.

SPECIMEN QUARTUM.

BOREALIUM VETERUM
MATRIMONIA,
CUM ROMANORUM INSTITUTIS COLLATA.



Fuit hæc sapientia quondam,
Publica privatis secernere, sacra profanis;
Concubitu probibere vago, dare jura maritis;
Oppida moliri, leges incidere ligno.

HORATIUS.



BOREALIUM VETERUM MATRIMONIA, CUM ROMANORUM INSTITUTIS COLLATA.



§. I.

Sobolem auſpicato ſuſcipere, ſuſceptamque per prudentem & ſobriam educationem ea ratione fingere & componere, quæ ſocietatis humanæ commodis & honori maxime conveniat, tanti res eſt momenti, ut inter negotia vitæ haud ſciam ecquid reperiatur, quod vel magis pertineat ad ſalutem de-

cusque mortalium, vel curæ ſolicitæ plus exigat. Ille videlicet omnium conditor Deus, cui ſoli rerum noſtrarum & penitus perſpecta conditio, & ſapientiſſimum eſt moderamen, cum primum hominem orbi & animantibus imperaturum formaſſet, ſuffecta mari foemina vincula matrimonii ſtatim nexuit, jugalesque nexus conſtabilivit adjecta præceptrice lege: ut vel ſancta parentum reverentia, quos tamen liberis ipſa natura commendat, copulæ maritali concederet (*t*). Nec id quidem ſine cauſa. Adeo enim non utilis modo, verum neceſſaria quoque eſt conjugiorum legitimorum caſta & adſtricta fides, ut eo quaſi fulcimine boni communis ſpes univerſa nitatur, ejusque neglectus calamitatis publicæ nullum non arceſſat genus. Ubi enim vel prægmatura venus ætatem vix evireſcentem deflorat, vel effrenis delumbat adultiorem; ubi, inquam, per ſtuprorum & adulteriorum propudia libido graſſatur, ibi non ſolum domeſtica concordia, mutuusque ille, qui conjuges, qui familias inter ſe, qui parentes invicem

vicem & liberos devincit amor, in exilium agitur, ſed quicquid vigoris corpori, quicquid animo virtutis ineſt, flacceat, oportet, & emedulletur. Nequid de illa peſtium cohorte dicam, quam palam & propere adductura eſt a natalium incertitudine profecta educandæ ſobolis incuria. Non mirum igitur, ſi tam ſacrata olim fuerint matrimoniorum jura, ſique illis, qui de patria & civibus præclare mereri, qui rempublicam vel ex integro condere, vel fluentem legum diſciplina conſtituere vellent, juſta & ſalubri conjugiorum obſervantia, ſi a religione diſceſſeris, nihil quicquam fuerit antiqvius. Nec male ſui ſeculi libidines perſtringens poëta cecinit:

Si quæret pater urbium
Subſcribi ſtatuis, indomitam audeat
Refrenare licentiam. (2)

1) *Geneſ.* C. I. v. 26. ſequ. & Cap. II. v. 24.
2) HOR. *Carm.* L. III. *Od.* XXIV.



§. II.

Priſcos gentium annales & hiſtorias ſi conſulueris, quæ legum ſapientia & geſtorum celebritate unquam floruerunt, & quarum aliqualis notitia literarum beneficio ad nos deſcendit, nomen viresque populis tamdiu manſiſſe reperies, quamdiu ſua conjugiis ſanctitas & fides perſtitit; ut vero impunitatem & licentiam peccandi invexit potentia, & laxata libidinum frena nuptias, genus & domos inquinavere, mores ſenſim nulla non contagio adulteravit; veterique diſciplinæ rigori, fortitudinis, conſtantiæ, pietatis & reliquarum virtutum parenti, ignavia, levitas, religionis faſtidium, & quicquid fere eſt degeneris vitii, cum numeroſa dedecorum prole ſucceſſit. Ex hoc fonte derivatæ clades publicæ ac potentiſſimorum ante imperiorum exitia demum fluxerunt. Romanorum certe populus, in illuſtre utriusque fortunæ exemplum natus, quid temperantia, quid mollities poſſit, evidentiſſime monſtravit. In pueritia enim & juventute creſcentis imperii tanta

tanta austeritate matrimonia servata sunt, ut ad secundas prodire nuptias foeminis vel nefas, vel turpe saltem & probrosum fuerit (1); ut, inquam, uxoribus a viris discedere ex lege Romuli prorsus illicitum (2), maritis vero uxores dimittere ob maxima tantum flagitia sit permissum (3); tamque religiosa & constans istius legis observatio viguerit, ut per quingentos & viginti annos nullum inter Romanos divortii exemplum exstiterit (4): quæ conjugalis fidei disciplina terrarum dominium castissimæ civitati jam tunc ominata videtur. Ubi vero victores gentium nimia felicitas vicit & enervavit, quemadmodum in reliqua vitiorum præcipitia, sic impudicitiæ quoque eo sunt prolapsi, ut, quo magis furtivis vacarent amoribus, a legitimis nuptiis abhorruerint Romani (5). Hinc divortiorum adeo cacoëthes invaluit, virique male moratas & impudicas de industria duxerunt, ut eo nomine repudiatas dote spoliarent (6); & foeminæ, quibus a matrimoniis divertendi jus & arbitrium leges prius ade-



merant, omnem exuentes pudorem vel nullas vel leviſſimas ob cauſas a viris tam frequenter ſejungerentur, ut non conſulum ſed maritorum numero annos computarent (7), nec in annos ſolum, ſed in ſingulos quoque menſes novos viros adſciſcerent (8). Nimirum ſeneſcentis & ad interitum vergentis imperii haud ambigua noſcis indicia.

1) Iteratæ foeminarum nuptiæ non tantum apud Romanos, ſed etiam apud alias gentes odioſæ fuerunt. Eas *illegitimæ intemperantiæ ſignum* vocat Valerius Max. II. 1. 3. Plutarch. *Probl.* 99. *Felices ac ſanctæ primæ nuptiæ: ſecundæ vero triſtes & deteſtandæ.* Unde Dido, Lib. IV. *Æneid.*

> *Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiſcat;*
> *Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,*
> *Pallentes umbras Erebi, noctemque profundam,*
> *Ante pudor quam te violo, aut tua jura reſolvo!*
> *Ille meos, primus qui me ſibi junxit, amores*
> *Abſtulit: ille habeat ſecum ſervetque ſepulchro.*

2) Divortium uxoribus non permiſit Romulus, teſte Plutarcho, in *Vita Romuli.* Hujus legis meminit Plautus, *Mercat. Act. IV. Scen.* 6.

> *Ecaſtor lege dura vivunt mulieres,*
> *Multoque iniquiore miſeræ, quam viri.*
> *Nam ſi vir ſcortum ducit clam uxorem ſuam,*
> *Id ſi reſcivit uxor, impune eſt viro.*

Uxor viro si clam domo egressa est foras,
Viro fit causa, exigitur matrimonio.
Utinam lex esset eadem, quae uxori est, viro!

3) Nempe: *Si stuprum passae* (vid. locum Plauti supra allatum), *si venenum parassent, aut liberos clavesve subjecissent.* Conf. Heineccii *Antiquit. Rom. Libr. I. Cap. I. App* §. 44.

4) Val. Max. II. 1. 4. item Gellii *Noct. Att. IV.* 3.

5) Id Romanis exprobrat ipse Augustus Imperator, apud Dionem Cass. *Libr. LVI.* 7. *Neque enim adeo solitudo vos vivendi capit, ut absque mulieribus degatis, ac neque vestrum quisquam est, quin mensae ac lecti sociam habeat: sed licentiam libidini ac lasciviae vestrae exercendae quaeritis.*

6) C. Titinii Fanniam repudiantis exemplum vid. Val. Max. VIII. 2. 3.

7) Seneca *de Benefic.* III. 16. *Illustres quaedam & nobiles foeminae non consulum numero, sed maritorum, annos suos computant, & exeunt matrimonii causa, nubunt repudiis.*

8) Juvenal. *Satyr. VI.* v. 20. *Sic fiunt octo mariti, Quinque per autumnos.* Martial. *Epigr. VI.* 7.

Aut minus aut certe non plus tricesima lux est,
Et nubit decimo jam Thelesina viro.

§. III.

Quam graviter & magnifice de matrimoniorum in republica dignitate & utilitate sense-



ſenſerint non priſci ſolum Romani, ſed reliquæ omnes gentes, quotquot levem humanitatis guſtum unquam habuerunt, vel inde poteſt colligi, quod, ut nihil fere, quod quidem alicujus fuerit momenti, absque auſpiciis atque religioſa & ſolenni rituum obſervatione antiqui geſſerint (1), haud facile tamen negotium invenias, cui majorem deorum dearumque comitatum adjunxerint, cui auguria captando plus proſpexerint, cui denique magis ambitioſum cerimoniarum apparatum & pompam, quam conjugiis ineundis, adhibuerint (2). Verum gentibus quandoquidem aliis alia ſacra legesque fuerunt, haud eosdem etiam matrimoniorum ritus habuiſſe non eſt quod miremur. At non pro nationum locorumque diverſitate ſola hi ritus variant; in ejusmodi enim conſuetudines, ut in omnia mortalium, tempori etiam plurimum licuit. Quodſi vero vel ipſa de Supremo Numine ſentiendi, ejusque colendi ratione aliquot ſeculorum decurſu ſibi gens eadem vix quiverit conſtare, nedum moribus

bus vivendique inſtitutis potuerit. Omnes autem matrimoniorum conſuetudines, prouti per diverſas gentes, loca & tempora differunt, perſequi & inveſtigare ſi vellem, majora viribus conantem & deficeret tempus, & argumenti foecunditas obrueret. Nihil tale minatur iſta ſcriptio, eo tantum conſilio ſuſcepta & inſtituta, ut æſtimatis quibusdam exterarum gentium, præſertim Romanorum, circa conjugia inſtitutis, ea tantum ſeligantur, quibus ſimilia apud majores noſtros, priſcos nempe borealis oceani & interluentis baltici maris accolas, matrimonia auſpicantes ineuntesque reperiuntur; quo antiquitates domeſticas cum exoticis hac ex parte componentes utrasque accuratius exactiusque, forte etiam aliquanto, quam fieri ſolet, æquius dijudicare poſſint. Ea utique eſt argumenti novitas & copia, ut quemadmodum nobis ii, qui has res ante nos tractarunt, idoneum reliquere ſpicilegium, ſic nec nobis integrum, in iſthoc argumento ita verſari, ut aliis, quibus plus otii & ſupellectilis librariæ fuerit, non



non bona ſuperſit meſſis. Illud igitur intra ſpem veniæ futurum credimus, ſi, quod vel ordinis exactores rigidi, vel themidos myſtæ forſitan deſideraverint, opus debens & ſumma rerum capita carptim ſtringens calamus non uſquequaque præſtiterit. Idque porro lector, velim, meminerit, niti ea, quæ hic in medium protulimus, non Septentrionis antiqui legum, quarum & copia rarior & difficilis intellectus, penitiori notitia, ſed hiſtoricis, quæ ad manum erant, monumentis.

1) Vid. Val. Max. II. 1. 1.

2) De his infra; ubi de Nuptiis, earumque diis, auſpiciis & ritibus agetur.

§. IV.

Ætatem matrimoniis aptam recentiores Romanorum jurisperiti a pubertatis initiis metiuntur; ita ut duodecimus annus in foemina & decimus quartus in puero ex eorum mente pubertatem definiat (1). Priſcos tamen Romanos tam præcoces nuptias haudquaquam probaſſe, antiqua Tullii Romano-

rum

rum regis censio perdocet. Hac, qui minores erant annis septendecim, pueri, & rei publicæ, & qui milites scriberentur, nondum idonei existimati sunt (2). Pueros autem uxoribus maritos, liberis patres, familiæ heros, & bonorum dominos constituere, cum antiqua prudentissimi populi gravitate minime congruit. Græcorum hac de re sententias habemus disertas. Uti enim omnium animantium, ita hominum quoque præmaturas & nimis juveniles copulas imperfectos tantum partus, corporibus pusillis & inutilibus, sexusque ut plurimum sequioris, progignere; puellarum porro, quæ ob ætatem nimis teneram viro nondum sunt tempestivæ, puerperia & matri & infanti esse perniciosa; ideoque nubenti puellæ annum octavum & decimum, viro autem uxorem ducturo tricesimum sextum maxime commodum, docet Aristoteles (3). Hesiodus tricesimum circiter annum viro, decimum quintum fœminæ (4); Plato autem illi triginta, huic viginti annos adsignat (5). Unde satis constat, quod-



quodnam ætatis tempus conjugiis contrahendis maxime idoneum Græci habuerint.

1) Vid. Sam. Pitiſci *Antiquit. Rom.* ad vocem *Ætas.*

2) Vid. Gell. *Noct. Attic. X.* 28.

3) Vid. L. Cæl. Rhodigini *Lect. Antiqu.* Libr. XXVIII. c. 20.

4) Vid. *Opera & Dies* v. 692. ſequ.

5) *Libr. V. de Republ.*

§. V.

De reliquis magisque borealibus europæis, ambigi non poteſt, quin ſeriora conjugiá omnes amaverint. Germanos quidem ſi cogitas, quos cum majoribus noſtris & locorum vicinitas, & ſacra fere communia, linguæque & morum magna ſimilitudo conjunxit, eos diu impuberes manſiſſe, idque ſibi & laudi duxiſſe, & ſtaturæ viribusque corporis ac nervorum robori utile putaſſe, ſi ſera juvenum eſſet venus, quæ ante viceſimum annum etiam probroſa videbatur, nec virginum matrimonia feſtinaſſe, luculenta Cæſaris, Melæ & Taciti teſtimonia confirmant.

mant (1). Hæc Germanorum veterum confuetudo in prifcos Septentrionis incolas tam apprime quadrat, ut non ovum ovo fimilius. Lentiores enim pueritiæ progreffus reddere potuit & cæli temperies, his in locis minus, quam in terris magis auftralibus, fervida, & alimentorum educationisque diverfa conditio. Hæc tarda puerilium progreffuum incrementa ignobiliorem indolem adeo non arguunt, ut fæpe fint generofioris indicia naturæ. Illa enim crefcendi lex fere generalis: *Quæ cito maturefcunt, cito fenefcunt.* Res etiam eft domefticis hiftoriarum teftatiffima exemplis, quod qui pueri juvenesque ad parentum ufque faftidium fegnes, ignavi, imo vecordes habiti funt, adultiores fortes, ftrenui, confilioque prudentiffimi viri evaferint. In documentum rei Uffonem Daniæ regem (2), Ketillum Hængum (3), Anum cognomine Bogfveigir (4), & Thorfteinum (5) in Norvegia, Ormum Storulfi (6), Viga-Glumum (7), Gunnarum, vulgo Keldugnups-fifl (8), Islandos, & plurimos alios



adducere licet. Nec ejusmodi exemplis aliarum gentium hiſtoriæ carent (9). Et hæc veterum Borealium pueritia productior ſerioris matrimonii una fuit cauſa.

1) Hæc de Germanis iisdem fere verbis perhibet Jul. Cæſar, de *B. G.* VI. 21. 4 & 5. nec non Tacitus de *Morib. German.* C. 20. conf. J. C. Cleffel. *Antiquit. German.* Cap. I. §. 5.

2) De Uffone, vid. Sax. Gramm. *Hiſt Dan.* VI. 17.

3) Vid. *Hiſt. Ketilli Hængi.* Cap. I. Mſt. Hæc Hiſtoria in Svecia, ni fallor, edita eſt. Impreſſa tamen rarius obvia, nec mihi ad manum.

4) Vid. *Hiſt. Ani Bogſveigeri.* Cap. I. Mſt.

5) Vid. *Svarfdæla S.* ab initio. Mſt.

6) Hujus *Ormi Vita* poſt *Hiſt. Olaf. Tryggvini* impreſſa eſt Scalholti anno 1689. Vid. Append. p. 7.

7) *Viga-Glumi Vita* impreſſa habetur.

8) Vid. *Gunnari* hujus *Vita*, ab initio. Mſt.

9) Horſum referri poteſt T. Manlii exemplum, qui in juventute a patre deſpectus & ruſticis ſolum operibus adhibitus, vir deinde fortis & in patrem pius evaſit. Vid. Val. Max. V. 4. 3.

§. VI.

Huic altera, cur matrimonia olim diſtulerint Boreales, affinis eſt ratio. Nempe rei milita-

militaris, præſertim piraticæ, ſtudio adeo flagrabant, ut de re uxoria prius cogitare, quam expeditionibus bellicis fama & opes partæ eſſent, ingenuis natalibus indignum haberetur. Hanc gloriæ armis & ſangvine merendæ ſitim, tot Danorum extra patriam veſtigia, quibus exterarum gentium a ſeculis mediis hiſtoriæ ſunt refertæ, affatim teſtantur. In Norvegia ſeculo octavo, nono & decimo, ſiqua fides eſt monumentis patriis, quibus circa hæc tempora idonea lux & certitudo negari non poteſt, alicujus nominis colónus vix fuiſſe videtur, quin bonam adoleſcentiæ partem piraticis excurſibus inſumſerit (1). Accedit, quod fortitudinis bellicæ indubiis ſpeciminibus quæſita celebritas inter præcipua fuerit, quæ viris amorem conciliarent foeminarum (2). His enim obſcura, domique reſes procantium vernilitas & ignavia maxime ſordebat (3). Enimvero ætatem viginti vel ſaltem octodecim annis minorem antiqui Septentrionis leges vel tyrociniis armorum inhabilem cenſebant (4). Unde, ſi unum



alterumve luſtrum bellicis experimentis erroribusque piraticis, hiſtoria ut plurimum ſuffragante, tribueris, tumque demum, ubi juvenilis ille pericula depoſcendi ardor paulatim deferbuit, animum Boreales ad nuptias applicuiſſe dicas, pauca virorum conjugia trigeſimo ætatis anno anteriora, pleraque inferiora ſtatuenda videntur. Minor quidem in foemina ætas viro matura credi poterat; ante vigeſimum tamen paucas nupſiſſe in temporum hiſtoria verſatus ſibi perſuaſerit.

1) Omnibus fere Norvegorum ab his temporibus biographiis hæc formula communis: *Hann hafdi verit í hernadi hinn fyrra hlut æfi ſinnar, en ſettiz nú at búom ſinom, ſem alldr færdiz yfir hann*, ɔ: *Priorem ætatis partem militiæ dederat, ævo autem factus jam provectior, rei oeconomicæ in prædiis hæreditariis quietus vacavit.* Vid. *Vatzdæla-Saga*, abinitio. Mst.

2) Vid. infra §. IX.

3) Ejusmodi homines olim *Heimdragar*, i. e. *domi hærentes*, vocabantur. Vid. *Heimskr. Edit. Hafn* T. III. *Hiſt. Sigurdi Hieroſolymip.* Cap. XXIV. p. 265. Conf. *Hiſt. Orcad. ed. Hafn.* 1780. p. 312. Hinc Aſa, obſcura connubia dedignans, procum Sturlogum ad penum maternam amandavit. Vid. *Hiſt. Sturlogi Laborioſi.* Cap. II. Mst. Viros, qui fortitudine militari

tari nondum inclaruerant, vix confeſſu in conviviis, nedum conjugio dignabantur foeminæ. Vid. *Eigla*, Cap. 30. Mst.

4) Annis XX aut XIIX juniores in piratarum aut ſatellitii regii commilitium cooptari leges Borealium militares non ſinebant. Vide *Jomsvikingorum Leges Caſtrenſes, Artic.I.* in *Hiſt. Olaf. Tryggv. ed. Scalholt.* P.I. Cap. CXXXII. Item *Heimskr.* T. I. *Hiſt Ol. Tryggv.* Cap. CI. p. 301. Nec non *FlóamannaS.* C. II. Mst.

§. VII.

Foeminam, quam nuptiis ambirent, *proponere*, *patrum*, ſi viverent ſique præſentes eſſent, cognatorum, uti & amicorum erat, *eligendi* vero *arbitrium ductoris* relinqui ſolebat (1). Utut enim patriæ poteſtatis in Septentrione tantus olim, quantus uſpiam fere gentium, fuerit rigor; in nuptiarum tamen negotio filias ille, in quibus thori coactio, ut infra monſtrabimus, non infrequens, ſeverius premebat (2). Filios autem, præſertim cum adultiorem ætatem attigiſſent, ſpontanea magis patrum reverentia, & prudentiæ nec non benevolentiæ paternæ fiducia, quam imperium legale coërcuit (3). Horum igitur

 con-



conjugia, etſi minus probarent conſultique prius non fuiſſent patres, rata tamen habuerunt (4).

1) Vid. *Laxdæla S.* Cap. XXIII. Mst. & *Niála, ed. Hafn.* 1772. Cap. II. p. 3.

2) Vid. infra, §. VIII.

3) Nialus filio Helgio matrimonium proponens: *uxorem,* inquit, *tibi deſtinavi, modo mea ſequi conſilia velis. Cui Helgius: id vero facere mihi certum, cum te bene & cupere & conſulere poſſe ſciam.* Vid. *Niála*, Cap. XXVI. p. 40.

4) Sic Einarus Thambaſkelfir filii Endridii cum Erlingi Solenſis filia nuptias, etſi coactas, nec ſe conſulto factas, tamen approbavit. Haud aliter etiam Eirici Blodöxii cum Gunhilda matrimonium, ſe clam & abſente initum, ratum habuit pater Haraldus Pulchricomus. Vid. *Heimskr. T. I. Har. Pulchric. Hiſt. Cap. XXXIV. p.* 112.

§. VIII.

Foeminarum autem nubentium longe fuit alia conditio. Illæ enim patrum imperio adeo erant obnoxiæ, ut ad ingratos ſibi thalamos a patre poſſent adigi. Auſteritatem patrum ſæpius illas, etſi infelici plerumque ſucceſſu, expertas teſtis eſt hiſtoria (1). *In*

nuptiis

nuptiis mulierum consensus patris, &, si hic mortuus, fratris (2), imo filii (3), si adolevisset, adeo fuit *necessarius*, ut nisi hic esset impetratus, non illegitimum modo matrimonium, ducentique flagitiosum esset, & gener, ceu virginis ingenuæ raptor & stuprator, si jus suum exseqvi pater posset & vellet, criminis capitalis reus atqve securitatis publicæ exsors redderetur (4); sed omni qvoqve dotis & hæreditatis paternæ spe & jure injussu patris nubentes virgines cum suis liberis exuerentur (5). Patriæ illa potestatis severitas in primis filiarum nuptiis maxime valebat. Paterno enim imperio per primum filiæ conjugium sublato, vel saltem imminuto (6), quamvis, morte mariti interveniente, sub patriam tutelam revolveretur, si ad nova vota procedere placeret, filia jam vidua, in optione mariti sui facta juris & arbitrii, nec patris imperio usqveqvaqve subjecta fuisse comperitur (7). Poterat nempe vidua oblatam denuo nubendi conditionem recusare, ipsi tamen suopte nubere non licebat, absque consensu &

auctoritate tutoris, five is pater effet, five filius aut frater (8). Jus iftud etfi patres olim habuerint, & interdum auftere fatis exercuerint, fuerunt tamen indulgentiores & æqviores alii, qvi, in deligendis generis, uxores filiasque non modo confulerent, fed plenam mariti optionem filiabus concederent, datamque femel hac de re fidem vel cum vitæ periculo fancte fervarent (9).

1) Olafus Seciæ rex filiam Ingigerdam Jarisleifo Holmgardiæ regi invitam in matrimonium dedit. Vid. *Heimskr. T. II. Cap. XC. & XCV.* Sic Olufa Ketillo, jubente patre, invita nupfit. Vid. *Viglundi Pulchri Vitam, Cap. V.* Hallgerda, vulgo Langbrók, cum inconfulta Thorvaldo a patre effet defponfa, ipfaque conditionem ut ignobilem averfaretur, regeffit pater: *ekki legg ek fva mikit vid ofmetnad þinn, at hann ftandi fyri kaupom minom, ok fkal ek ráda, en eige þú, ef okkur fkill á.* i. e. *faftum tuum haud tanti facio, ut icciroo coëmptionis, qvem ipfe feci, contractum irritum fieri patiar: nos enim nifi confentiemus, meum erit imperare. Vid. Niala. Cap. X.*

2) Geiram fororem ad ingratas Burisleifi Vandaliæ regis nuptias coëgit Sveinus Biberbis, Daniæ rex. *Vid. Heimskr. T I Hift. Ol. Tryggv. Cap. XCIX.* Ipfe quoque Olafus Tryggvii f. fororem Aftridam ad minus placentes Erlingi Solenfis thalamos adegit. Vid. *Libr. cit. Cap. LXII. & XLIII.* Sic Ingibiorga a fratribus.

bus Hringo regi invita nuptum data eſt. Vid. *Vitam Fridthiofi Vegeti, Cap. IV. & V. Mst.* Sic Steingerdam frater Berſio invitam deſpondit. Vid. *Kormaks S.* Mst.

3) Matrem ad ingratas nuptias cogere non potuit filius; ſed nec matri abſque auctoritate & conſenſu filii, in cujus erat tutela, nubere licuit. Quod ſi feciſſet, & ipſi dos, & liberis ex novo matrimonio natis, hæreditas materna denegari potuit. Hanc ob cauſam Ruto, hæreditatem maternam poſtulanti, regeſſit Höſkuldus: *Matrem Thorgerdam abſque ſua auctoritate Herjulfo nupſiſſe: matrem vero in ſua ex lege tutela fuiſſe. Laxdæla S. Cap. XXI.*

4) Cum filiabus, quæ in patria poteſtate & domo fuere, invito patre matrimonium iniri non potuit, niſi ante e domo paterna raperentur. Hanc vero rapinam capitale fuiſſe crimen docet exemplum Thorgrimi Prudii, (vid. *Vit. Viglundi Pulchri, Cap.V.* in fine), Biörni Hauldi, (vid *Eigla, Cap. XXIII*). Thorkilli Thurrafroſti, (vid. *Hiſt. Olaf. Tryggv. ed. Scalh. P. I. Cap. CVII. p.* 116.). & aliorum.

5) Hæreditatis, liberis raptæ, ſ. quæ abſque conſenſu patris ducta fuit, denegatæ, exemplum inſigne vide *Eigla, Cap. XXXV.*

6) Utrum patria poteſtas in filiam per hujus matrimonium penitus ſublata, an imminuta tantum fuerit, quæri ſolet. Quid Romani hac de re ſenſerint, vid. Heineccii *Antiqvit. Rom. Libr. I. Tit. IX. §. 3 & 4. & Tit. XII. §. 5.* De Borealibus priſcis peritiores judicent. Certe Mördo ſocer Giſſurus Albus minatur, niſi mandata capeſſiviſſet, ſe filiam, ei nuptam, domum

 ſuam



fuam reducturum. Hæ minæ in virum juris patrii fatis peritum vanæ fuiffent, nifi patri id facere licuiffet. Verum credi poteft Giffurus, quo & contextus hiftoriæ inducit, filiæ ad divorcium confenfum fuppofuiffe. (Vid. *Niála, Cap.CXXXVI.*) Adeo ut divortii facultas non tam penes patrem, quam filiam, Mördi uxorem, fuerit. Divortium vero arbitrarium, præfertim confentiente patre, quin uxoribus olim licitum fuerit, nullum eft dubium.

7) Hallgerda primis nuptiis inconfulta & invita locabatur; iterum & tertio nupturæ pater liberam nubendi vel non nubendi optionem conceffit, eamque tum non pater, ut ante, fed femet ipfa defpondebat. Vid. *Niála*, *C.p XIII. & XXXIII.*

8) De his, vide fupra, *Not.* (2) & (3). Gudruna Ofvifi filia, uti & Droplauga, iterum nupturæ, filios nuptiarum auctores adhibuerunt. Vid. *Laxdæla. Cap.LXXV.* & *Fliotsdæla*, *Cap XXIII.*

9) Hringus Jarlus mariti eligendi optionem filiæ Afæ conceffit. Vid. *Vit. Sturlogi Laboriofi*, *Cap. II.* Nec aliter Eigillus Skallagr. f. Thorgerdæ. Vid. *Laxdæla*, *Cap. XXIII.* Ketillus Hængus folenni formula juravit, nemini fe filiam invitam in matrimonium daturum; quoque juramenti fidem fervaret, cum procis aliquoties fingulari certamine conflixit. Conf. *Vitam Ketilli Hængi.* Mst.

§. IX.

De adfcifcenda conjuge deliberantes viri imprimis fpectabant, I. *natalium fplendorem* claras-

clarasque futuræ uxoris *necessitudines* (1); II. erectam petendæ sibique fidentem *animi indolem* (2), cujus liberos participes futuros sibi persvadebant (3); III. *pulchritudinem* (4); & IV. *dotem* & *spem hæreditatis* (5). Mulieres vicissim in procis desiderabant, I. *generis nobilitatem*, aut saltem *honestatem* (6); II. *vultum* decorum & staturam corporis dignam & *virilem*; & III. *celebritatem militarem*, rebus fortiter & strenue gestis promeritam (7). *Sacra communia* (8) & *ætas non* admodum *dispar* (9), nuptiisqve saltem idonea, utrinqve in censum veniebant. Viros formosos sibi mulieres optabant qvidem; de exqvisito autem nitore aut venustate vultus minus solicitæ, id attentius considerabant, qvid universa *vultus conformatio minaretur*, ex qva non modo secretiores animi recessus perspicere, sed futuram qvoqve ominari fortunam mira qvadam arte & raro fallaci veteres callebant (10). *Militaris* virorum *statura* (11), qvam in concinna membrorum proportione sitam ad certas æstimabant regulas, maxime placuit foeminis, in reli-



reliqvis etiam satis delicatis; maritos enim senes abominabantur, obscuro loco natos & sua conditione inferiores dedignabantur, ignavos autem molles & timidos, nullaque fortitudinis laude conspicuos, qvam maxime fastidiebant. —

1) Vid. *Laxdæla S. Cap. XXIII.*

2) Heroica hac animi indole præditam foeminam antiqvi *Kvenn-skörung* vocarunt. Tales procis vel maxime in votis fuerunt. Conf. *Laxdæla S. Cap. X. & LXXV. Niála, Cap XCVI.*

3) Nota sunt Ragnari Lodbrokii ante mortem verba: *Módernis feck ec minom, Maugom sva at hiörtun duga.* i. e. *eam matrem filiis meis dedi, ut satis habeant animi.* Vid. *Ragnars-Qvida Stroph. XXVI.*

4) Rutus, de pulchritudine Halgerdæ sententiam rogatus, respondit: *satis nimiumque pulchra est; id qvod multis erit damno*, Vid. *Niála, Cap. I.* Nempe tribus illa maritis nupta, omnibus causa mortis exstitit.

5) Vid. *Niála, Cap. II.*

6) Si par utrinqve nubentium conditio, *jafnrædi;* si foemina infra suam conditionem nupta, *vargefin*, dicebatur. Vid. *Niála, Cap. X.* Astrida Erlingi Solensis, (v. *Heimskr. T. I. Hist. Ol. Tryggv. Cap. LXII.*) & Ragnhilda Hakoni Ivari f. (v. *Libr. c. T. III. Hist. Har. Sev. Cap. XLIX.*) ut ignobiliorum matrimonium recusabant.

7) Ita inclytissimum antiqvitatis fabulosæ heroëm, Sigurdum Fabnericidam. Brynhilda & Gudruna ad furias usqve

usqve deamabant, teste *Edda*. Hildegunnæ Gunnarum, virum fortissimum laudanti, ab invidis responsum: *talis vobis foeminis Gunnarus videtur, ut qvi parem non habeat.* Vid. *Niála, Cap. LXXIII.* Verum res notissima non eget exemplis. Conf. *Cleffel, Antiqv. Germ. Cap. I. §. III.*

8) Ob diversa sacra Geira Burisleifum maritum deseruit; eandemque ob causam Olafus Tryggvii f. Sigridam Imperiosam sibi pactam repudiavit. Vid. *Heimskr. T. I. Hist. Ol. Tryggv. Cap. C. & Cap. LXVIII.*

9) Maritum senem rem ingratam foeminis, maritisqve uxorem decrepitam fuisse, historica probatione, per se facillima, non indiget.

10) Venustam virorum faciem parum moratas olim foeminas, docet exemplum Thorgerdæ, (v. *Laxdæla, Cap. XXIII.*), & Steingerdæ, (v. *Kormaks S. Cap. III.*) Bellam faciem magis foeminam qvam virum decere olim creditam, innuit proverbialis locutio: *hvítur madur ok huglaus*, ɔ: *albus vir & animi inops.* Vid. *Laxdæla, Cap. LX.* Idem etiam docent verba Gunlaugi Ormstungæ, Rafno objectantis, qvod *vultu esset venustulo qvidem, sed qvi nihil magni promitteret.* Vid. *Vit. Gunl. Ormst. ed. Hafn. Cap IX. p.* 113. Istam faciei qvalitatem, ex qva de indole & fortuna augurari liceret, Boreales, *svipur, yfirbragd*, vocarunt. Sic Halgerdæ *oculos, furacitatis indices*, haud vanus conjector agnovit Rutus. Vid. *Niála, Cap. I.* Sic Gissurus Albus, nebulonem alloqvens, & indolem ex vultu æstimans, dixit: *ekki deilir litur kosti, ef þú gefz vel.* i.e. *haud facies animi interpres, si tu te bene dederis.* Quasi cum Martiale dixisset;

Cri-



Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læsus,
Rem magnam præstas Zoile, si bonus es.

Notum porro Gesti Oddleifi f. de Kiartano & Bollio, pueris primum sibi conspectis, qvod hic illum olim occisurus esset, vaticinium. Ejusmodi exempla multa sunt. Sed nec ista auguria ex vultu Romanis ignota fuisse, docent illa Virgilii de Marcello, qvippe præmature obituro. *Æneid. I VI.*

Sed frons læta parum, & dejecto lumina vultu. & porro:
Sed nox atra caput cava circumvolat umbra

Nisi grammaticas tribus alumna reverentia proseqverer, fere dixerim: Virgilii illud de Marcello: *Qvantum* INSTAR *in illo est*, non similitudinem cum seniore Marcello, sed *vultum* juvenis *præclara minantem*, Borealium nempe, *svipur*, hic significare.

11) Vir statura militari, *hermanlegur á vöxt*, dicebatur. v. *Niála. Cap. XXV.*


§. X.

Qvandoqvidem ingenua mulier sine consensu patris aut tutoris duci legitime non potuit, ad hunc consensum, uti & assensum ducendæ impetrandum & conciliandum necessaria erat *procatio;* actus nempe, qvo cupita mulier in matrimonium poscebatur. Iter procandi ergo institutum (*Bónords-för*) ipse plerumqve procus, nisi matrimonium parum pensi

penſi habere videri vellet, obire ſolebat, patre vel cognatorum aut amicorum præcipuis comitantibus (1). Antiqviſſimis temporibus reges etiam atque principes præſentes procari ſolitos eſſe conſtat (2). Seqviori autem tempore legatis expertæ fidei & prudentiæ viris illud negotium principes mandabant, maxime ſi peregre uxor qværenda eſſet, qvo abire proco non vacaret (3). Ubi pater vel tutor cupitæ mulieris conventus, eam in matrimonium poſtulabat, non ipſe procus licet præſens, qvo verecundiæ & pudori conſultum videtur, ſed proci vice *proxeneta*, ſive is pater, ſive propinqvorum aut amicorum alius. Hujus porro erat, ſi placerent nuptiæ, de conditionibus matrimonii transigere. De illis cum utrinqve conveniſſet, contractus nuptialis teſtibus adhibitis eſt confirmatus. Contractus nuptialis legitime ratus, *Sponſalia*, *feſtar*, dan. *Trolovelſe*, dici conſuevit (4).

1) Vid. *Niála, Cap. XIII. & XCVIII.*

2) Vid. *Sax. Gramm. Hiſt. Dan. Libr. III.* p. 40. Ubi hæc: *Cum ejus temporis juvenes matrimonii poſtulationem propria*



pria voce profeqvendi confvetudinem haberent. Sic in *Edda Sæmundi* Atlius (Attila), Hunnorum rex, fe ipfum procatum ait: *Beidur fór ec heiman, at bidia þín Gudrun.* i. e. *procaturus domo proficifcebar, ut te, Gudruna, nuptiis ambirem.* Vid. *Atla-mál en Grænlenzco.*

3) Vid. *Heimskr. T. I. Hift. Ol. Tryggv. Cap. LXVI. & T. II. Cap. XCV.* Conf. *Cleffel.* Libr. & Cap. cit. §. 10.

4) Hanc fuiffe & procandi, & fponfalia contrahendi confvetudinem docet *Niála, Cap. II.* item *Gunnl. Ormst. Vita, Cap. IV. p.* 54.

§. XI.

Ad integritatem matrimonii tantum facere borealibus olim vifa funt fponfalia, ut his non præmiffis legitimæ non cenferentur nuptiæ (1). Ad fponfalia vero hæc pertinebant: I. *procatio*, fine qva nullus fponfaliis locus; II. *impetrato* patris vel tutoris puellæ, vel, fi per anteriores nuptias fui facta effet arbitrii, ipfius mulieris, *confenfu*, a) *procus* mulierem fibi in matrimonium datum iri *ftipulabatur*, qvod olim, *at faftna fer konu*, dicebatur (2); b) *pater* vel tutor mulieris, vel ipfa, datum iri *fpondebat*, qvod, *at fefta konu* (*fk*) *manni*, vocabant (3). Promiffio hæc recipro-

ciproca, *eigin-ord* (4), dicta fuit; atqve hic actus ipfam fponfaliorum fubftantiam conftituebat; III. *Conditiones conventæ matrimonii* ineundi indicebantur; IV. *hæc* omnia, a) *junctis* contrahentium *dextris*, b) *conceptis* verborum *formulis*, & c) *coram* nuncupatis *teftibus* claffìcis peracta funt (5).

1) Svafius Snæfridam filiam regi Haraldo Pulchricomo in matrimonium fe daturum negabat, nifi præviis fponfaliis eam legitimam duceret uxorem. Vid. *Heimskr. T. I. Hift. Har. Pulchric. Cap XXV.* Hilderidæ filiis hæreditas ideo negata, qvod eorum mater legitime non effet defponfata. Vid. *Eigla*, *Cap. VI. & IX.*

2) Vid. *Vit. Gunl. Ormst. loc. fupra*, §. 10. *Not* (4). *cit.*

3) Vid. *Niàla*, *Cap. XIII. & XXVII.*

4) Vid. *Kormaks S. Cap. V.* in fin. & *Heimskr. T. I. H. ft. Ol. Tryggv. Cap. XCIX. p.* 298. Interdum vox, *eigin-ord*, maris & foeminæ de conjugio ineundo fidem, mutuo, fed clam & abfqve fponfaliis datam fignificat. Vid. *Vit. Viglundi Pulchri. Cap. V.*

5) Vid. loca fupra, §. *X. Not.* (4). *cit.* item *Niàla*, *Cap. XIII.*

§. XII.

Conditiones fponfaliorum conventæ, *fefta-máldage* (1) olim dictæ, vel I. nuptia-

rum a) *tempus*, & b) *locum* definiebant, vel II. *pecuniariæ* fuerunt. *Tempus*, qvod ſponſalia & nuptias intercederet, inter conditiones matrimonii neceſſarias, & de quibus in contractu ſponſalitio transigi deberet, vel ideo referendum, qvod hac conditione ab alterutra parte non impleta, ipſe ſponſaliorum contractus irritus redderetur (2). Eo tempore, qvo ſponſa ſponſum exſpectare debuit, & intra qvod alii nubere non potuit, *at ſitia i feſtom* ſponſa dicebatur (3). Diuturnitas temporis ſponſalitii, pro circumſtantiis varia, a contrahentium arbitrio dependebat, qvod, prouti tempeſtas anni vel ad nuptias invitatis, vel in convivium nuptiale, qvod qvo ſplendidius & freqventius eo qvoqve honoratius habebatur, impenſas facturis, magis minusve viſa eſt commoda, *ad aliqvot* plerumqve *menſes* extendebatur (4). Siqvid vero negotii gravioris vel intra patriam vel peregre ante nuptias peragi e re nubentium videretur, *triennii* tempus contrahentes plerumqve paciſcebantur; cujus *triennii ſponſalitii* in monumen

numentis hiſtoricis freqvens mentio intercurrit (5). *Locus* nuptiarum ordinarius *apud ſponſam* ejuſqve patrem aut propinqvos erat. Si vero apud ſponſum ejuſve patrem aut propinqvos celebrandæ eſſent nuptiæ, id præter conſvetudinem in honorem ſponſi nobilioris factum videbatur (6). Qvamobrem locus, non ſecus ac tempus nuptiarum, ad conventiones ſponſalitias, ſi non primarias, certe neceſſarias, pertinebat.

1) Vid. *Niála*, *Cap. II.*

2) Eoqvod intra tempus ſponſalitium non compareret Biörnus Hitdal. Athleta, Oddnya ei deponſ.ta alteri nupſit. Vid. *Vit. Biörni, Cap. II. & V. Mst.* Eandem ob cauſam non ſponſo Kormaco, ſed Beſſio nupſit Steingerda. Vid. *Kormaks S. Cap. V.*

3) Conf. *Vit. Biörni Hitdal. Athl. Cap. II.* nec non *Hiſt. Ol. Tryggv. ed. Scalh. P. I. Cap. XXI. p.* 85.

4) Vid. *Laxdæla*, *Cap. VI.* & *Niála*, *Cap. II.*

5) Triennium ſponſalitium non modo inter ſponſos, (vid. loca ſupr. *Not.* (3). *cit.* item *Niála*, *Cap. II*), ſed inter pactos qvoqve conjuges in uſu fuit; vid. *Vit. Gunl. Ormst. Cap V p.* 80 & *Niála, Cap. XCVIII.*

6) Vid. Laxdæla, Cap. XXIII. & Niála, Cap. XXXIII.



§. XIII.

Conventiones ſponſaliorum pecuniariæ reciprocæ fuerunt, & utramqve contrahentium partem obligabant. Nempe I. *a parte ſponſæ dotem dicebat & promittebat pater*, vel alius qvilibet, cujus ſub poteſtate erat ſponſa, viciſſimqve *ſtipulabatur* qvid pro dotis uſufructu maritus doti adjicere teneretur, qvod matrimonio vel per divortium vel mortem ſoluto, præter dotem, qvam filiæ pater dixerat, ſponſæ ejuſve hæredibus cedere debe-ret (1). Dos a patre data, *heimanfylgia* (2), *heimanferd*(3) ſtipulatum autem dotis augmentum a ſponſo dandum, *tilgiöf*, appellabatur (4); illam Romani *dotem profectitiam* vocabant (5), hanc *adjectitiam* ſ. *addititiam* dixeris, ab *adventitia* Romanorum (6) probe diſtingvendam. Utraqve *receptitia* fuit (7), & utraqve ſimul ſumta a borealibus, *mundur* & *mále*, vocabatur; vox tamen, *mundur*, ſolam *adjectitiam* interdum apud auctores ſignificare videtur (3). Qvæ hac conditione locabatur, *mála-kona* dici ſvevit. Hæc condi-

tio

tio fere, si sponsa sponso longe locupletior, vel sub conditione sterilitatis aut divortii usitata videtur (9). Erat & aliud conventionis sponsalitiæ genus, qvod, si bona nubentium fere æqvalia & conjugium concors & foecundum speraretur, in usu fuisse constat. Nempe, ut alterutro conjuge mortuo bona communia inter superstitem mortuique hæredes, sive hi liberi essent communes, sive alii, ex æqvo dividerentur; ideoque hæc conventio *helmingar-felag* dicta (10). *Conventiones* hæ *sponsaliorum pecuniariæ*, *festa-ka upmále* vocatæ (11), ante artis scriptoriæ in Septentrione usum tantum *verbales* erant, *adhibitis* tamen *testibus* (12). Postqvam vero literarum usus increbuit, non *instrumenta* tantum *sponsalia*, vulgo *kaupmála-bref* (13), sed auspices qvoqve & signatores in usu esse coeperunt.


1) Vid. *Niála*, *Cap. II.*

2) Vox ista occurrit in *Svarfdæla*, Mst. & passim alias.

3) *Heimanferd*, pro dote, vid. *Hist. Ol. Tryggv. ed. Scalh. P. II. Cap. XXXV. p.* 160.

4) Vid. *Hist. Ol. Tr. l. cit.* item *Heimskr. T. II. Cap. XCV. p.* 132.

 5)



5) Vid. *Heinecc. Antiqvit. Rom. II.* 8. 8.

6) Vid. Libr. & loc. cit.

7) Vid. l. c.

8) Vox *Mundur*, apud Auctores nunc dotem profectitiam & addititiam simul sumtas, (vid. *Niála, Cap. VIII.*), nunc solam additi tiam significat. Vid. *Heimskr. T. I. Ynglinga-tal. Cap. XVII. p.* 20. Ubi *Visburus Audi Divitis filiam duxisse, eiqve pro dote tria prædia majora dedisse*, narratur. Dos enim profectitia, quæ a patre non a marito datur, hic intelligi neqvit.

9) Vid. *Niála, Cap. II.*

10) *Niála, Cap. II. & XIII.*

11) Vid. *Niála, l. c.*

12) Vid. *l. c.*

13) Vox, *Kaupmála-bref*, in *Sturlunga*, ni fallor, occurrit; locum autem nunc non invenio.

§. XIV.

A parte sponsi pater, aut qvisqvis ei patris erat loco, vicissim *dicebat & promittebat*, qvantum bonorum, qvod doti responderet in rem nubentium daturus & collaturus esset, qvod, *at leggia fram se med manne*, Boreales vocabant; hanc pecuniam, *quanar-mundur*, Boreales (1), *pecuniam maritam* forte Romani dixerunt (2). Hæc pecunia, a dote addititia prorsus diversa, si doti esset æqvalis, æqvs

æqva videbatur conditio (3). Integra autem conventio ſponſaliorum pecuniaria, *feſta-kaupmále*, aliqvanto latiore qvam §. XIII. ſignificatu, nuncupari ſolebat (4). In his contractibus ſponſalitiis, qvoniam aliqvid utrinqve dandum promittebatur, patet veterum Borealium matrimonia, ejusmodi præviis ſponſaliis inita, *nuptias per coëmtionem* dici mereri. Unde talis contractus ſponſalitius *kaup* (5), coemtio, & uxor dote additia coêmta, *kona mundi keipt* (6) vocata. Idqve jure meliori factum, qvam apud Romanos, ſi ob ſolam aſſis traditionem, qvo Romanæ maritos emebant, coemtio nuptialis dicta ſit (7); ita enim umbram corpori, ritum & cerimoniam nudam, ceu ſignum, rei ſignificatæ ſubſtitui, nemini non clarum. De Germanis refert Tacitus: *dotem non uxorem marito, ſed uxori maritum offerre* (8). Idem de Borealibus tam ex Saxonis teſtimonio, qvam aliunde adſtrui poſſe qvibuſdam viſum (9). Uxori maritum dotem obtuliſſe de Borealibus qvidem verum, ſi dotem ad-

 dititiam



dititiam (10), uti & dona nuptialia, inter ipſa matrimoniorum auſpicia ſponſæ & uxori a viris dari ſolita, intelligas. Nullam vero ab uxore ad maritum dotem profectam, adeoqve omnes Borealium *uxores* fuiſſe *gratuitas*, hiſtoriæ Septentrionis, qvalis adhuc ſupereſt, prorſus refragatur (11).

1) De hac pecunia in ſponſaliis Ruti cum ageretur, dixit ad Mördum Höſkuldus: *eigi þarf oc leingi at bida, hvat ek ſkal* áqueda; *hann ſkal hafa &c.* i. e. *nec diu exſpectabis, qvantum* dicturus *ſim; habebit enim &c.* Vid. *Niála, Cap. II.* conf. *Cap. XCVIII.* nec non *Vit Biörni Hitd. Atl. Cap. II.* Vocem, *qvanar-mundur* hac ſignificatione ſumtam, vid. *Niála, Cap. XCIV.*

2) Vid. Plauti *Epidic. Act. II. Scen.* 1.

3) Vid. loca ſupra *Not.* (1) cit. nec non §. *XIII. Not.* (10)

4) Vid. *Niála, Cap. IX. XIII.*

5) Vid. *Niála, Cap IX. X. & XXVII.*

6) Vid. *Eigla, Cap. IX.* Conf. *Atlamál en Grönl. Mund gallt ec mærri, Meidma fiöld þiggia, þræla þriátigi, þíar ſiau godar.* ɔ: *Dotem claræ perſolvi, cimelia multa accipienda, ſervos triginta, ſervas ſeptem bonas.* Ubi *mundur* dotem, qvippe a marito datam, addititiam notat; ita tamen, ut dona nuptialia ſimul includere poſſit.

7) De *aſſe nuptiali, qva Cajus Cajam emebat*, vid. *Heineccii Antiqv. Rom.* I, 10. 11.


8)

8) De *Mor. Germ. c.* 18.

9) Conf. *Cleffel. Ant. Germ. Cap. I. §. VI.*

10) Vid. fupra. §. *XIII.*

11) Fateor eqvidem Hiftoriam borealem, qvæ fupra nonum adfcendit feculum, adeo aut fabulis intermixtam, aut jejunam effe, ut inftituta borealium non fatis femper explicate commonftret. Verum qvoniam in his interdum fabulis mores & opiniones gentium latent, poffe qvoqve credo vel ex ipfa Eddarum mythologia dotis profectitiæ antiqvitatem utcunqve evinci. Nimirum Skadia fedem paternam in Thrymheimo, cujus erat hæres, Niördo nupta retinuit & inhabitavit; non igitur uxor Niördi gratuita dici meretur. Atlius Giukungos iccirco vel maxime interfecit, qvod thefaurum Fabnerianum fibi retinerent, qvem uxori fuæ Gudrunæ, mariti nempe prioris Sigurdi legitimæ hæredi, adeoqve & fibi cum uxore dotis nomine deberi credidit Atlius. Sed, ut fabulas mittamus, qvin temporibus feculo octavo inferioribus dos profectitia apud Septentrionales in ufu fuerit, nifi hiftoriæ borealis ignarus nemo facile dubitaverit. Conf. *Heimskr. Yngl. t. Cap. LIII. p.* 61. Nec fatis fcio, qvid fibi velit Tacitus. (v. c. 18.), qvi poftqvam *dotem non uxorem marito, fed uxori maritum offerre* dixerat, iftaqve munera maritorum dotalia, nempe *boves, frenatum eqvum, fcutum, gladium & frameam*, recenfuit, ftatim fubjungit: *in hæc munera uxor accipitur, atqve invicem ipfa armorum aliqvid viro affert.* Qvidni igitur hæc uxoris munera dos profectitia dicenda; ipfaque Germanorum matrimonia, non minus qvam Romanorum & Borealium per coemtionem facta funt?



§. XV.

Solennes ſponſaliorum cerimoniæ ritu triplici conſtabant; *ritu* nempe I. *dextras jungendi*, II. *teſtibus denuntiandi*, & III. *verba* ſponſaliorum *concepta proferendi* (1). Ut in omnibus ſtipulationum generibus, ita in ſponſaliis dextras junxiſſe contrahentes diſerta auctorum loca teſtantur (2). Hinc Romani uxorem *in manum convenire*, *in manum tradi* & *emancipari* dicebant (3). Boreales contractum data dextra factum a parte ſpondentis *handſaul*, a parte ſtipulantis *handfeſtning*, & in negotio ſponſalitio, *feſtar*, ſtrictiore vocis ſignificatu appellabant. Sponſus cum patre, vel cum ipſa ſponſa, ſi nimirum hæc jure viduitatis ſui eſſet arbitrii, jungebat dextram (4). Teſtimonium denuntiaſſe, (*at nefna ſer vatta*), uterque contrahens videtur (5); eo tamen diſcrimine, ut ſi ſponſa, qvæ ſui juris, auctore patre, aut qvi ejus loco, ſe ipſa deſponderet, non ipſa, ſed pater aut tutor qvilibet, teſtibus denuntiaret (6). *Teſtes claſſicos* de induſtria vocavi (7). Qvemadmodum enim apud



apud Romanos in certis caufis non omnes viri erant teftabiles, fed qvi in una de V. civium effent claffibus, fic apud Boreales etiam fuerunt, qvorum teftimonium non reciperetur. In caufis certe criminalibus teftes idonei non erant, nifi & jure coloni gaudentes in horum effent tribu & numero, & anteftanti nulla vel naturali vel fpirituali cognatione conjuncti (8). Erat porro folennis fponfaliorum formula, qvæ etfi mutuo interrogandi refpondendique more, (*fpondesne? fpondeo.*), Romanis ufitato (9), non conftiterit, verbis tamen conceptis, ut in qvovis fere actu (10), qvi publice ratus foret, ita in fponfaliis, ufi olim funt boreales (12). *Annulum pronubum* fponfum fponfæ dediffe non negaverim, præfertim cum annulorum dona in Septentrione olim freqventiffima, & mutuis fponfi fponfæqve donis nihil ufitatius. Aft hunc pronubum annulum magis teftificandi amoris qvam firmandorum fponfaliorum pignori, & vel ante legitima fponfalia fæpius datum (12), nec femper aut neceffario fpon-



ſponſaliis acceſſiſſe conſtat, qvandoqvidem ſponſalia legitime peracta abſqve illo ſatis rata & eſſent & haberentur. *Arrham* igitur *ſponſalitiam* (13) Boreales olim ignoraſſe qvin ſtatuam, nihil ſuccurrit, qvod diſſvadeat.

1) Vid. §. *X. Not.* (4) & §. *XI.*

2) Vid. *Niála, Cap. II.* & *Vit. Gunl. Ormst. Cap. IV. p.* 54.

3) Vid. *Heinecc. Antiqvit. Rom. Libr. I. Tit. X.*

4) Vid. loca ſupra, *Not.* 2) cit. & *Niála, Cap. XIII.*

5) Vid. loca ſupra, *Not.* 2) & 4) cit.

6) De hoc evidens in Niála locus, *Cap. XIII.* ubi pater patruusqve teſtibus denuntiabant, Hallgerda vero jam vidua ſe ipſa deſpondebat.

7) De *teſtibus claſſicis*, vid. *Geſn. Theſ. Lingv. Rom.* ad vocem *Claſſicus.*

8) Inſigne hujus rei documentum exhibet *Niála*, *Cap. CXLIII.* Nimirum Colonus (*Bonde*) cenſebatur, & teſtandi jure gaudebat, ſi 1) *domi focum* (*eldſto*) *haberet*, 2) ſi *rem pecuariam* (*málnytia*) *faceret*, vel 3) ſi *fundi*, qvem inhabitabat, eſſet *dominus*.

9) Vid. *Heinecc Libr. cit. III.* 16. 20.

10) Hæ juris formulæ in Niála paſſim obviæ; Vid. *Cap.* CXXXIX. *CXLIII—CXLVI.*

11) Vid. *Vit Gunl. Ormst. Cap. IV. p.* 54. Ubi hæc: *Die qvodam Gunlogus ad Thorſteinum: unus, inqvit, actus legitimus eſt, qvem me non docuiſti; qva ſcilicet formula*

formula uxorem mihi desponsem. Cui Thorsteinus, rem parvi negotii esse respondit, formulamqve eum docuit.

12) Fidei de conjugio ineundo, mutuo, sed clam & absqve sponsaliis datæ, pignori Sigurdus Fabnericida Brynhildæ, (vid. *Sögu þátt Sigurdar Fabnisbana, Cap. 20—30. Mst.*), Fridthiofus Ingibiórgæ, (vid. *Vit. Fridthiofi Vegeti, Cap. III.*), Olafus Tryggvii f. Norvegiæ rex Sigridæ Imperiosæ absenti, (vid. *Hist. Ol. Tryggv. ed. Scalh. P. II. Cap. XXXV. p.* 159. annulum pronubum dederunt.

13) De *Arrha sponsalitia* vid. *Heinecc. Libr. & loc. supra, Not.* 9) *cit.*

§. XVI.

Fuerunt illa, sine quibus sponsalia justa & licita non erant. Ut enim I. *consensum patris*, aut qvi nupturæ patris erat loco, taceam, reqvirebatur porro, ut ambo nubentes essent II. *ingenui*, III. *matrimonio soluti*, & deniqve IV. *sangvinis necessitate proxima* inter se *non conjuncti.* De consensu supra diximus (1). *Servi servæqve*, uti apud Romanos aliasqve gentes, ita apud Boreales non pro personis sed pro rebus habiti, *nulla* legitima vel cum ingenuis vel inter se *sponsalia contrahere* aut matrimonia inire *poterant* (2). *Monogynia* autem



autem ob omni ævo, aut qvousqve saltem ulla temporum adscendit notitia, in Septentrione adeo recepta fuit, ut etsi marito plures simul essent foeminæ, qvibus cohabitaret, *unica* tantum *uxor* esset *legitima;* reliqvæ, & vel prius legitime ductæ, aut facto divortio dimittebantur, aut concubinarum s. pellicum instar retinebantur (3). *Incesta porro conjugia abominatos Boreales* etiam ethnicos, vel solum Helgii, Daniæ Regis, exemplum docet (4). Qvousqve vero ethnici gradus cognationis prohibitos numeraverint, mihi qvidem in incertis. Proximos, nempe *cum matre*, *sorore*, *filia*, vetitos fuisse, certum (5). Postqvam Sacra Christiana recepissent Boreales, Juris Canonici hac in re præscripta secuti sunt.

1) Vid. supra §. *X. & XI.*

2) Qvod servi aut servæ vel cum ingenuis, vel inter se legitimo conjugio fuerint conjuncti, nuspiam legitur. Qvoties vero placebat maritari, libertate prius a dominis donari & manumitti solebant; cujus multa sunt exempla. Conf. *Hist. Ol. Tryggv. ed. Scalb. P. II, Cap. XIII. p.* 27. *& Laxdæla, Cap. VI.*

3) Ad hujus rei documentum vel solum Haraldi Pulchricomi, primi Norvegiæ monarchæ, exemplum allegare

gare fatis fit. Ille enim ducta Ragnhilda novem uxores dimifit, qvas tamen antea in legitimo matrimonio habuerat. Vid. *Heimskr. T.I. Hift. Har. Pulchric. Cap. XXI. p* 97.

4) Vid. *Sax. Gramm. Hift Dan. Libr. II p.* 28 Conf. *Hift. Hrolfi Krakii*, *p.* 39. *feqq.* nec non *Heimskr. T. I. Yngl. r. Cap. XXXIII. p.* 41.

5) Si *patris* cum *filia* conjugium olim vetitum, id qvod Helgii docet exemplum (vid. fupra, *Not.* 4.), etiam *filii* cum *matre* ob paritatem rationis illicitum fuerit, oportet; imo *cum noverca*, vid. *Hift. Hrolfi Krakii, Cap. XII* *Sororis* qvoqve *hymenæos* fuiffe *vetitos*, docet Knutus Inventus, celandi ergo inceftus expofitus. Vid. *Hift. Ol. Tryggv. ed. Scalb. P. I. Cap. LXX. p.* 70.

§. XVII.

Solent juris romani confulti cupitas mulieres trifariam diftingvere. Sunt nimirum illæ *fperatæ, pactæ, fponfæ* (1). Triplex qvoqve hoc difcrimen in veterum Borealium inftitutis obfervatur. Sperata enim, *hugdarkona*, & qvi fperabat, *von-bidill;* pacta, *heitkona;* & fponfa, *feftar-kona*, dicebantur. Non amata qvævis ideo *fperata* fuit, nifi quæ amantem redamaret, amorisqve mutui & conjugii fidem vel dediffet, vel faltem non abnuiffet; absqve



absqve tamen explicito patris vel neceſſitudinum conſenſu (2). Hæc fides, jure invalida, ſi a parte mulieris non ſervaretur, æqva qvidem cum rivali inimicitias, vix aliter, qvam ſingulari certamine dirimendas, ſuſcipiendi cauſa videbatur; nulla tamen fraudato in præripientem actio ex lege competebat (3). *Pacta* dicebatur, qvam pater qvidem, aut qvi patris loco, uxorem promiſerat, ſed abſqve legitimis ſponſaliis. Hoc promiſſum ad certum tempus plerumqve erat reſtrictum, intra qvod alteram ducere proco, & alteri nubere pactæ non licebat. Si procus fidem non ſervaſſet, promiſſi pater & mulier non erant rei (4). *Sponſa* audiebat, qvæ per legitima ſponſalia ſponſo intra tempus ſponſalitium in matrimonium addicta fuit. Nec pacta, nec ſponſa, neutriusqve procus intra tempus præſcriptum, cum alio vel alia conjugium inire potuit, qvod ſi fieret, is, qvi fidem violaſſet, *malæ fidei reus* erat, quæ injuria non armis modo in æmulum, ſed & actione contra eum, qvi datam fidem violaſſet, vindicari


dicari potuit (5). Fides inter ſperatos conjuges non ſervata *laus-mæli*, inter pactos *brigdmæli*, inter ſponſos *trygd-rof* vocabatur (6); hoc crimen grave & inſtar *perjurii promiſſorii* (*eid-rof*) habebatur, qvique violaſſet, *varavargur* audiebat (7). Non modo cum ſperata, ſed cum pacta etiam & ſponſa ante nuptias omne corporis commercium ſponſo illicitum, pro ſtupro habitum, nec ſine petitæ ejusqve cognatorum magna ignominia & contumelia admitti potuit (8).

1) Vid. *Heinecc. Libr. cit. III.* 16. 20.

2) Tales omnes foeminæ, qvæ aut mutui amoris & conjugii fidem, ſed abſqve tam patris vel tutoris auctoritate, qvam ſponſaliis dedere, aut ſaltem amantem non averſabantur. Talis ergo Kolfinna Halfredi Poëtæ, vid. *Hiſt. Ol. Tryggv ed. Scalh. P II. Cap. XXI.* p. 83. Talis Ingibiörga Fridthiofi, Olufa Thorgrimi, Ketilrida Viglundi, Gudruna Oſvifi f. Kiartani, de qvibus ſupra, & aliæ.

3) Vid. *Hiſt. Ol. Tryggv. l.c.* p. 84. nec non *Laxdæla S. Cap. XLVII. ſeqq.*

4) Talis Helga Pulchra Gunlogi Ormst. & Hildigunna Höſkuldi, vid. *Niála, Cap. XCVIII.* Cæterum pactam a ſponſa diſerte diſcernit Thorſteinus, dicens: *Helga ſkal vera beit-kona Gunnlaugs, en eigi feſtarkona.* ɔ: *Helga pacta Gunlogo erit, non deſponſata.* Vid. *Vit. Gunlogi Ormst.* p. 80.



5) Vid. *Kormaks S. Cap. IV. & V.*

6) Vid. l. c. *Cap. V.* Conf. *Edd. Sæm. Od. Grîpis-ſpá: Str. XXXI. & XXXII.*

7) Fidem mutuam de conjugio; vel ſine legitimis ſponſaliis datam, inſtar juramenti ſanctam habuere veteres. Hinc Thorgrimus Olufam ſibi fidem juraſſe dicit, vid. *Vit. Viglundi Vegeti, Cap. V.* Brynhilda Sigurdum ob fidem matrimonii non ſervatam in ſe perjurum vocat. Vid. *Edd. Sæm. Od. Helreid Brynhildar*, ubi *eid-rof*, & *Od. Grîpis-ſpá*, ubi *trygd-rof* & *vara-vargr* hoc ſenſu occurrunt.

8) Vid. *Heimskr. T I. Hiſt. Har. Pulchric. Cap. XXV. p.* 101. Idem etiam docet Erlingi Solenſis in Endridium, Einari Thambaſkelferi filium, ob ſuſpectam cum filia ante nuptias conſvetudinem, ira.

§. XVIII.

Sponſalia legitima *juſtæ* ſeqvebantur *nuptiæ*; utriusqve effectus *legitimum* fuit *matrimonium*. Si alterutrum non adeſſet, *matrimonium illegitimum* cenſebatur; ſi neutrum, *nullum*. Viri enim cum ſponſa conſuetudo absqve nuptiis inſtar *ſtupri* erat, mulieri & liberis pariter ignominioſa (1), & cum foeminæ cognatorum contumelia, ut ante dictum, conjuncta; eoqve ſolo a concubinatu differebat, qvod concubinæ non ſponderentur. Nuptiæ vero abſqve ſponſaliis, etſi conſen-

ſus

ſus patris & aliqvalis coëmptio adeſſet, *ſkyndi-bryllup* ɔ: *conjugium ſubitum* dictum, legitimi matrimonii effectus non ſortiebatur. Qvamvis enim liberi inde nati ſpuriis aliqvanto honeſtiores haberentur, hæreditatem tamen patris, præſertim ſi legitimi adeſſent liberi, ſibi depoſcere non poterant (2). Horſum qvoqve referenda ſunt illa principum conjugia, qvibus, legitima uxore non repudiata, aliam ſuperinduxerunt, qvæ, qvamvis concubina non eſſet, legitimæ tamen uxoris dignitate & juribus non fruebatur (3). Ex ejusmodi connubio, quod *matrimonium inæqvale* dici ſolitum, prognatos, *filios naturales* qvidam jurisperiti appellant (4); talisqve *uxor ſecundaria* dici meretur. Si legitimi eſſent filii, naturales illi patri ab inteſtato non ſuccedebant; ſi vero legitimi non eſſent, vel a patre legitimati, vel pro legitimatis habiti, in dignitatem bonaqve patris ſuccedebant (5). Unde patet filios ex matrimonio inæqvali ſuſceptos neutiqvam fuiſſe ſpurios. Cæterum iſtud conjugium in ſeptentrione nulli niſi principi licitum vel moris fuiſſe videtur (6).

 1) Kraka



1) Kraka Ragnaro Lodbroko fui copiam ante nuptias facere recufabat, qvippe citius commercium fibi & liberis ignominiofum dicens. Vid. *Ragnari Lodbr. Hift. Cap. V. Mst.* Conf. §. XVII. Not. (8).

2) Vid *Eigla, Cap. VI. & IX.*

3) *Matrimonii Inæqvalis* illuftre exemplum dedit Haraldus Severus, Norvegiæ rex, qvi Thoram Thorbergi filiam uxorem duxit, ita tamen ut reginam Elifabetham porro retineret. Uxoris certe, non concubinæ loco habebatur Thora, reginæ tamen titulo & dignitate nunqvam fruebatur. Vid. *Heimskr. Tom. III. Hift. Har. Severi. Cap. XXXIII. p.* 90.

4) Vid. *Heinecc, Antiqvit. Rom. Libr. I. Append. Cap. I. §. XLI. & XLII.*

5) Haraldi Severi ex Thora filii neutiqvam nothi fed naturales erant, & a patre legitimati in regnum paternum fuccedebant. Vid. *Heimskr. T. III. Hift. Har. Sev. Cap. LXXXV. p.* 152. *& Cap. CIII. p.* 171. Haud abfimile exemplum in Sveino Eftritio, Daniæ rege, ejusqve filiis reperies. Deinceps autem in Norvegia filii regum ex concubinatu fufcepti, adeoqve nothi, pro legitimatis juftisqve patrum fucceflforibus cenfebantur. Cujusmodi Magni Nudipedis, Haraldi Gillii, Sigurdi Bronchi & Sverreri, regum filii fuerunt.

6) Simultaneæ principum polygyniæ aliqvot qvidem exempla habemus; nempe, Hiörvardi, Amlethi, Hiörleifi Mulierofi, Alfi, Alfreci, Haraldi Pulchric. & aliorum. Verum ifta matrimonia partim inæqvalia, partim illegitima & potius concubinatus dicenda putamus, nec nifi regibus, qvi omnia fibi licere credebant, ufitata.

§. XIX.

§. XIX.

Liberi ex legitima uxore nati *legitimi*, *ſkilgetin* v. *ſkírborîn börn*, ex alia *illegitimi*, *laungetin*, fuerunt. Filius ex pellice v. concubina ſuſceptus *nothus*, *fridlu-ſonur*, ex adultera *hórgetinn*, ex ancilla *ambáttar-ſonur*, ex ſerva *þíar-ſonur*, ex meretrice *pútu-ſonur*, ex inceſtu *meingetinn* dicebatur. Nothi omnes citra conſenſum legitimorum hæreditatis paternæ exſortes, *ecki ódalbornir*, erant (1), matremqve ſeqvebantur (2); dona tamen illis pater, vel invitis legitimis, impertiri poterat (3). Nothi haud erant infames; aliqva vero ex ancilla vel ſerva, major etiam ex adultera, meretrice & inceſtu natos notæ macula adſperſit (4). Veteres Boreales, ſi legitimos liberos non haberent, vel legitimorum conſenſum impetrarent, & nothos legitimare (5), & alienos adoptare, (*at leida til arfs*,) poterant. Adoptatos plerumqve nutricio ſinu ſimul receperunt, qvod, *at foſtra einum barn*, vocabant (6). Hoc autem cum ad educationem ſobolis magis qvam ad matrimonium pertineat, ut ab inſtituto noſtro alienum, in præſens omittimus.

 1) Vid.

1) Vid. *Laxdæla*, *Cap. XXVII.*

2) Notum illud, *partus ventrem feqvitur*, de liberis illegitimis Romanorum qvod valuerit, teftis eft *Alex. ab Alex. Gen. Dier. Lib. II. Cap. V. Cum impare, aut fi Romanus cum peregrina, vel Latini nominis muliere, aut ferva vel barbara jungeretur, nullum fuiffe jus nuptiarum neceffitudinisqve. Itaqve nati liberi fub patris jure aut familia non erant, fed matrem feqvebantur.* Borealibus idem etiam ufu venit, ut liberi, five fpurii, five ex matrimonio inæqvali fufcepti, non patri, fed matri ejufqve cognatis adhærerent. De Haraldi Pulchric. liberis vid. *Heimskr. T. I. Hift. Har. Pulchric. Cap. XXI. p. 97. Börn Haralds Konungs voru þar hver uppfædd, Sem módlerni áttu.* ɔ: *finguli Haraldi regis liberi*, (nempe ex matrimonio inæqvali nati), *apud cognatos maternos educati funt.* Nec non *Cap. XL. p. 118. Haraldr Konungr let fveininn fylgia módur finni, oc voru þau at konungs búom medan fveinninn var úngr.* ɔ: *Haraldus rex puerum*, (fibi ex ancilla natum, *matrem feqvi juffit*, *qvæ cum eo, dum adolefcebat, in prædiis regiis commotabatur.* Conferatur, de Hilderidæ filiis, *Eigla, Cap. VI.* de Snækolli liberis, ex capta fufceptis, *Svarfdæla, Mst.* De Höfkuldo Niali ex concubina filio, apud matrem rem oeconomicam faciente, *Niála, Cap. XCIX.* Nec non de Olafo Pavone, ex ferva nato, apud matrem adolefcente, *Laxdæla, Cap. XV.*

3) Luculentum hujus rei documentum exhibet *Laxdæla, Cap XXVII.*

4) Interdum fpurii natales opprobrio fuere. Vid. *Vitam Viglundi Vegeti, Cap. IV,* Conf. *Heimskr. T. I. Hift.*

Hist. Har. Pulchric. Cap. XXVII. p. 105. Nec non *Laxdæla, Cap. XXIII. & XXIV.*

5) Vid. *Laxdæla, Cap. XXVII.*

6) Adoptationis nutriciæ consvetudo olim creberrima. Sic Thordus Goddius adoptavit Olafum Pavonem. (Vid. *Laxdæla, Cap. XIX.*). Bersius Haldorum. (Vid. *Laxdæla, Cap. XXIIX*). Hroarus Tungugodi Thidrandium. (Vid. *Fliotsdæla, Cap. IV*). Nialus etiam Höskuldum non nutriendum modo suscepit, sed, cum uxorem duceret Höskuldus, a nutricio non secus ac filius pecunia marita instructus est. Vid. *Niála, Cap. XCV. & XCVIII.*

§. XX.


Sicuti legitimas ambire nuptias nemini ingenuo non licitum, ita omnis viri cum muliere consvetudo sine justis nuptiis etsi licita, tamen minus honesta censebatur. Extra conjugium amata qvævis mulier, qvæ amantem palam non aversabatur, *vin-kona, unnusta* dicta fuit (1). Qvoties vir foeminam ingenuam freqventius conveniebat, & sine arbitris alloqvebatur, si spe nuptiarum, qvæ ei, in cujus potestate erat mulier, non displicerent, id agere videretur, non fuit fraudi; sin minus, *pudicitiam mulieris attentare*, (*at*



fifla konu) credebatur (2). Hoc, qvoniam famæ mulieris damnoſum, cum procos honeſtos abſterreret, (qvod, *at ſpilla koſti konu*, appellari conſvevit), inqve patrem & propinqvos cupitæ contumelioſum eſſet, *patris*, aut qvi patris loco fuit foeminæ, primum *erat*, *tentatori* præſumto *domo* ſua *interdicere* (3). Hoc ſi tentator negligeret, injuria fiebat, qvæ tam vi & armis, (*med oddi ok eggiu*) coërceri, qvam actione contra lædentem inſtituta vindicari poterat (4). Amator honeſtus *bidill*, inhoneſtus *fridill*, dici ſolebat (5). Si qvis virginem ingenuam aut viduam honeſtam clam patre aut cognatis potitæ gravidam reddidiſſet, *ſtuprum* commiſit. Hoc crimen erat capitale, *legords-ſauk* olim vocatum (6). In ſervas autem, ancillas, aut palam impudicas ſtuprum non committebatur (7); ejusmodi enim foeminam ubi qvis gravidaſſet, ſtupri neutiqvam reus fiebat, ſed levioris delicti, qvod mulcta arbitraria, ei, in cujus poteſtate gravidata erat, ſolvenda luebatur. Virginem aut viduam in-

genuam

genuam e domo paterna aut tutoris ſiqvis intra patriam communem ad conſvetudinem corporis per vim apertam auferret, *raptionem mulieris*, *konu-nám*, ſi clam & dolo fieret, *plagium* commiſit, criminis capitalis reus. Rapta *hernumin*, furtim ſubducta *ſtolin*, dicebatur (8). Si cum rapta aut ſubducta, ut primum licuit, nuptias amator celebraret, eamqve deinceps, qvantum in ſe, uxoris legitimæ loco haberet, mitigari delictum, imo conſenſu propinqvorum deinceps impetrato, & ipſum conjugium, & liberi inde nati legitimari poterant (9). Si qvis autem cum rapta aut ſubducta abſqve nuptiis cohabitaret, non rapinæ modo vel plagii, ſed ſtupri inſuper crimine ſe induebat. Extra patriam, ut in ſolo hoſtili, raptæ foeminæ pro ſervabus habebantur, & jure bellantium ac prædantium conſvetudinario inſtar mancipiorum non modo uſurpari, ſed & venum dari abſqve uſurpantis ignominia poterant (10). Maritatam ſiqvis corrumperet, (qvod, *at leggiaſt med konu manns*, olim dicebatur,) *adulter*,



hórr, erat (11). Qvi maritatam ad adulterium ſolicitaret, *at glepia konu manns* dicebatur (12). Adulterium adeo olim flagitioſum tamqve capitale habebatur, ut, vel ſi ab imperante committeretur, rebellionis & regicidii juſta cauſa videretur (13). Siqvis foeminam abſqve ſponſaliis, coëmtione dotali, & ſpe nuptiarum in contubernium adſumeret, *at taka konu fridlu-taki*, ipſaqve actio *fridlu-tak* vocabatur (14). Sic adſcita foemina, qvæ *fridla* dicebatur (15), ſi non maritato conſtantius adhæreret, *fylgdar-kona* Borealibus (16), Romanis *uxor ſodalitia*, *uſuaria*, & qvatenus ſine dote aſſumta, *gratuita* vocabatur (17); ſi maritato adhæreret Romanis *pellex*, Borealibus *fridla*, voce ſtrictius ſumta, audiebat (18). Si præter uxorem legitimam pellex, vel ſi plures concubinæ cum uno viro corpus miſcerent, relativo nomine *eliur*, vocari ſveverunt (19). Si præter maritum moechus, vel plures moechi unius foeminæ copiam haberent, *qvidmágar* appellati ſunt.

1) Vid. *Foſtbrædra S. Mst.* Conf. *Edd. Sæm. Od. Oddrúnar-gr. Prolog.*

2) Iſtæ

2) Istæ virorum ad mulieres itiones in *Vita Viga-Glumi* & *Vatzdæla búsgaungur* appellantur. Crebri autem ejusmodi conventus & colloqvia cum filiabus patribus semper suspecta & odiosa fuerunt. Vid. *Vit. Viglundi Veg. Cap. II.* Conf. *Fostbrædra S.* de Thormodo, *Vatzdæla* de Hrolleifo, nec non *Niála, Cap. LXXXIII.*

3) Tentatori mulieris domo interdicere, *at vanda um*, dicebatur. Vid. *Vatzdæla*, *Fostbrædra S.* item *Hist. Ol. Tryggv. ed. Scalb. P.II. Cap. XXI. p.* 82. nec non *Flóamanna S. Mst. Cap.* XIIX, & *Landnáma, P. V. Cap. X.*

4) Vid. *loc. Not.* (3) *cit.*

5) Vid. *Edd. Sæm. Völund. qv.* & *Helga-qv. Hadd. sk.* item *Oddrunar-gr. Prol.*

6) Vid. *Niála, Cap. LXIV. & LXXXIII.* Nec non *Vit. Finbogii Robusti, Cap. XL.*

7) Cum servabus qvidem *venerem* fuisse *tutam* non mirum, cum mancipia apud Boreales jure civium non gauderent; vid. supra §. XVI. & infra §. XXIX. De impudica vid. *Reikdæla, Mst.* Ubi stupri crimen amoliri Brandus qvidam voluit, ideo qvod cum muliere, nomine Fridgerda, res esset, qvæ corporis pluribus vulgati insimulabatur.

8) Rapinæ & furta mulierum antiqvissimis temporibus in Septentrione crebra fuerunt. Qvamvis enim legibus civilibus essent prohibita, eas tamen leges violare heroicum prædatoribus videbatur. Hinc profectum proverbium: *ecki fara Víkingar at laugom.* i. e. *inter arma silent leges.* Foeminæ raptæ vel subductæ triplex exemplum habetur in *Hervarar S. Cap. I. ed. Upsalæ.* 1672. *p.* 1, 2, 3. Conf. *Heimskr. T. I. Hist. Halfd. Nigri,*



Nigri, *Cap. V. p. 69.* Poſtqvam autem Frotho Tertius furta & rapinas in Dania lege promulgata vetuiſſet, (vid. *Sax. Gramm. Hiſt. Dan. Libr. V. p* 85.), qvæ lex deinceps diu viguit, (vid. *Ol. Tryggv. Hiſt. ed. Scalh. P. I. Cap. CXXVIII. p.* 146.), & poſtqvam Haraldus Pulchricomus, univerſæ Norvegiæ regno potitus, populationes omnes intra patriam non modo lege lata prohibuit, ſed ſevere etiam punivit, (vid. *Heimskr. T. I. Hiſt. Har. Pulchric. Cap. XXIV. p.* 100.), raptiones mulierum capitis poena luebantur. Vid. exempla §. *VIII Not.* (4) *indicata.* Conf. *Landnama, P. II. Cap. XXVIII.*

9) Conjugium cum rapta per ſubſeqvens matrimonium, patris raptæ aut propinqvorum conſenſu deinceps impetrato approbatum, liberiqve ex rapta legitimari ſolebant; ex. gr. Thorgrimi Prudii, Biörni Höldi, & Thorkilli Thurrafroſtii. Vid. *Vit. Vigl. Veg. Mſt. Eigla, Cap. XXIII.* & *Hiſt. Olaf. Tryggv. ed. Scalh. P. I. Cap. CXVII. p.* 132.

10) Vid. *Heimskr. T. I. Hiſt. Ol. Tr. Cap. V. & LVIII. p.* 192. 256 *Laxdæla, Cap XV,* nec non *Landn. P IV. Cap. II.* & *P. V. Cap. XII.*

11) *Hórr*, adulter, occurrit in *Ægis drecka, Str. XXX.* Vid. *Edda Sæm. ed. Hafn. p* 163.

12) *At glepia konu* hoc ſenſu occurrit in *Hiſtor. Sverreri. Mſt.* de Philippo Comite. Hinc mulctam pro ſuo cum Kolfinna adulterio ſolvendam *Glap-ſkuld* vocat Halfredus poëta. Vid. *Ol. Tryggv. Hiſt. ed. Scalh. P. II. Cap. XCIX. p.* 307.

13) Adulterium olim pro flagitio famoſo habitum fuiſſe docet *Vita Thorſteini, Halli Sidenſis filii, Mſt.* Adulterii rebellione & cæde principis vindicati exempla, vide

vide *Heimskr. T. I. Hist. Har. Grafeld. Cap. XIV. p.* 182. 183. & *Hist. Olaf. Tryggv. Cap. LIII. p.* 250. nec non *Hist. Sverreri. R.* de cæde Comitis Philippi. *Mst.*

14) Vid. *Vita Fimbogii Rob. Cap. XXX.*

15) Vid. *Vatzdæla* de Hrolleifo.

16) Vid. *Grænlands S. ed. Scalh.* 1688. *Cap. II. p.* 13.

17) De uxore fodalitia, ufuaria, gratuita, & pellice, vid. *Heinecc. Antiqvit. Rom. I.* 10. 14. & *Append. Cap. I.* §. *XXXVIII.*


18) Præter uxores legitimas, concubinas alere prifcis Borealibus perqvam ufitatum fuiffe, hasqve pellices olim *fridlur* dictas effe, vulgo notum. Talis fuit Hrodnya Niali, vid. *Niála, Cap. XXV.* Conf. *Edd. Sæm. Gudrunar-qv. III. Prolog.*

19) Hrodnya Bergthoram, uxorem Niali, *elia*, vocat. Vid. *Niála, Cap. XCIX.* In *Appellationibus Eddæ poëticis* Terra Friggæ, Frigga Terræ, Rindæ, Gunladæ & Gerdæ, item Sifa Jarnfaxæ *elia* vocatur, ideo qvod illæ Odini, hæ Thori effent couxores.

§. XXI.

In Septentrione olim ut ftrupra & concubinatus fatis freqventia, adulteria rariora, inceftus rariffimi (1), ita *pæderaftia* & *crimen beftialitatis* pæne inaudita fuerunt (2). De hominum cum geniis, larvis, dæmonibus, aut qvicqvid fatyrorum panumqve generis vetus habuit boreas, nec hac in parte cultis & lite-

ratis



ratis nationibus inferior, congressibus qvæ memoriæ prodita inveniuntur, ut ad fabularum inanitates referenda consulto prætergredimur (3). Illud ad veritatem magis accedit, qvod ante celebrem illam immigrationem Odinianam oras has Europæ boreales qvondam inhabitaverit genus qvoddam hominum, mole corporis vasta, victu & moribus immane, ferarum venando piscandoqve captarum & carnibus victitans, & pellibus se vestiens (4). *Jötnorum* illa gens, qvatenus Odiniana sacra, (nempe anthropolatriam), & mores recipere nolebat, internecino Odinianorum odio vexata, victaqve paulatim & attrita in Norvegiæ Sveciæqve partes maxime boreales & desertas compulsa fuit: ibiqve antra montium rupesqve inaccessas incoluit, nullis legibus, exiguo inter se & nullo cum reliqvis hominibus commercio; vulgoqve Jötni horribiles adeo & ab humanitate remoti habebantur, ut anthropophagi vel essent, vel crederentur (5). Hi odioso nomine *Trolli* vocati, artium porro magicarum abstrusio-

ris

ris peritiæ insimulabantur; unde factum, ut artes hæ magicæ *Troldom*, & qvi eas tractant *Trolde* etiam nunc dicantur. Ad Haraldi usqve Pulchricomi tempora circa sinum Gandvik, uti & in Lapponiæ Norvegicæ, Svecicæ & Moschoviticæ desertis, imo in Halogalandia boreali aliqvas horum reliqvias superfuisse, contra tot relationum fidem inficiari non æqvum aut integrum (6). Verum hos humanitatis & deorum hostes adeo detestabantur Boreales, ut, siqvis in eorum manus incidisset, conclamatus haberetur, &, *at vera i trölla höndum*, diceretur (7). Non mirum igitur, si hominum humaniorum, qvi *menskir menn* vocati, cum his monstris cyclopæis connubia non ominosa modo, sed & illicita atqve illegitima sint existimata (8).

1) Illiciti qvivis amores, in *Edda Sæm. Od. Sigrdrifumál*, *ofgaman* vocantur. De incestu, vid. §. *XVI. Not.* 4. 5. Qvibus hic addo: conjugium cum sorore apud Vanos licitum, apud Asos & Boreales prohibitum fuisse, auctore Snorrio, in *Heimskr. Ynglinga S. Cap IV. Tom. I. p.* 8. Unde Niördo, qvod ex sorore filium susceperit, exprobrat Lokius. Vid. *Edd. Sæm. Od. Ægis-dr. Str. XXXVI.* Consvetudinem



nem cum fratris uxore inceſtuoſam & adulterinam fuiſſe, docet idem Lokius, *Od. cit. Str. XXVI.* At matrimonium cum fratris mortui vidua licitum fuiſſe, Hedini (in *Edda Sæm. Od. Helga-qv. Haddinga-Sk.*), Egilli Skallagrimi f. (v. *Eigla. Cap. XXXIV.*) & Gislii Thorkilli f. (v. *Vit. Gislii Surti f. Cap. I.*), Brynjulfi Veſtari f. (v. *Landnama, P. IV. Cap. III*), exempla docent. Uxoris mortuæ, nec non fratriæ, ſororem ducere etiam licitum fuit; vid. *Landn. P. III. Cap. XVI.* & *P. II. Cap. XXXII.*

2) Abominabiles illæ & horrendæ actiones *Firnverk* dicuntur, in *Edda Sæm. Od. Helga-qv. Hundings-b. priore.* Verum naturam multo reverentius habuere Boreales, qvam gentes olim Aſiæ & Europæ, qvæ ſcientiarum & humanitatis laude vel maxime ſuperbiebant, non illis modo, qvas barbaras faſtuoſe vocabant, nationibus, ſed animantibus rationis expertibus hâc in parte magis belluinæ. Marium enim muliebria paſſorum, vel infandæ cum brutis conſvetudinis hiſtoricum exemplum mihi qvidem aut repertum nuſpiam eſt, aut non ſuccurrit. Nec eſt, ut iſtas impuritates Græcis Romanisqve aut aliis invideamus. Neſcio tamen, an huc trahi poſſint maledicorum qvædam convicia, qvi in adverſarios qvælibet opprobria fingere laudi ſibi ducebant. Tale qvidpiam Thorlaugæ, Gudmundi Potentis uxori in convivio nuptiali objectabat Geirlauga: *nempe ejus maritum eſſe virum nullius animi & mollem, (ecki vel hugadr eda ſniallr).* Illud, *ecki ſniallr,* ſemivirum, ſcortum mare, ſeu cinædum hic innuit. Eo enim ſpectant Thoreri Háke f. Dicacis verba, qvi cum Gudmundum in plenum lacte catinum retrorſum corruere videret, in riſum effuſus ajebat: *plerumqve*

ramqve ante aliam ſibi medicinam nates tuas qvæſiviſſe dixerim; lac vero illas prius bibiſſe non credo. Aliqvid enim ſimplici timiditatis exprobratione deterius Gudmundo hic objectum fuiſſe, vel inde concludas, qvod iſtud opprobrium adeo ipſum ejuſqve uxorem pupugerit,ut non modo odio & injuriis mutuis, ſed cædibus qvoqve occaſionem dederit. Vid. *Reikdæla S. Mſt.* Idem hoc opprobrium *illmæli*, calumniam infamem ſ. famoſam, vocat Skarphedinus. Vid. *Niála, Cap.CXX.* Omne autem hac de re dubium eximunt Broddii ad Gudmundum verba: *Inæqvales tibi, Gudmunde, manus ſunt, ſi clivi Lioſavatnenſis divergium, qvominus ego & comites tranſeamus, prohibebis, parvum autem clunium interſtitium a criminatione non defendis.* Vid. *Aulkofra S. Cap. ult.* Huc etiam referri poteſt Skarphedini in Floſium dicterium: *ef þú ert brúdr Svínfells-áſs, ſem ſagt er, hveria ina níundo nótt at hann geri þik at konu* ɔ: *Si vera de te fama refert, qvod nona qvavis nocte in foeminam converſus genio, montis Svinfelli incolæ, uxoris vicem præſteš.* Vid. *Niála, Cap. CXXIV.* Simile qvoddam Lokio in convivio Ægeri objicit Odinus, v. *Edd. Sæm. Od. Ægis-drecka, Str. XXIII. Octo tu annos ſubter terra fuiſti bos lactaria & foemina, ibiqve foetum enixus es; id qvod ego ſemiviri indolem interpretor.* Idem Lokio exprobrat Niördus, *Od. cit. Str. XXXIII*, eumqve ibi vocat *deum pathicum, qvi liberos pepererit.* De Lokio porro tradit *Edda Snorrii*, qvod, ut immane, qvod diis imminebat, periculum averteret, in eqvam converſus eqvo, cui *Svadilfare* nomen, ſe miſcuerit, exqve ejus conſvetudine gravis eqvuleum pepererit, octo pedibus inſtructum, qvi deinceps famoſus ille Odini eqvus

 Sleip-



Sleipnerus exſtiterit. Ejusmodi obſcoenitates invicem reciprocant Sinfiötlius & Gudmundus, vid. *Edda Sæm. Helga-qvida Hundings-b. prior*. Verum iſta a commentitiis opprobriis & mythica Eddarum penu mutuari hiſtoricis harum foeditatum exemplis deſtituti cogimur.

3) Impuræ iſtius cum larvis & dæmonibus conſvetudinis narratiunculæ apud ſcriptores exteros freqventes occurrunt, qvarum magnam ſatis farraginem apud *Sim. Majolum*, in *Dieb. Canicul. Cap. de Sagis*, qvi cupit inveniet, qvam huc tranſcribere non attinet. Qvin & *Jornandes*, (*de Reb. Get. ed. Hamb.* 1611. *pag.* 103. 104.), clariſſimam olim potentiſſimamqve *Hunnorum gentem ex magarum mulierum, qvas patrio ſermone Alyrumnas cognominat, cum faunis conſvetudine prognatam* memorat, *creditqve ſpiritus illos, unde progeniem trahunt, Hunnos ad Scytharum invidiam egiſſe*. Apud Boreales Bujus Andridi filius, teſte ipſius *Vita*, *Cap. XIV. & XVIII.* ex oreade filium progenuiſſe traditur. Sic Helgium Thoreri filium cum larva foeminea commercium habuiſſe refert *Hiſt. Ol. Trygv. ed. Scalb. P. II. Cap. XXXIII. p.* 147. 149. Nec dæmoniaca, ſi credere fas eſt, conceptione famoſiſſimo Apollonio Tyanæo qvicqvam concedit Eivindus Kinnrifa, qvi moriens confeſſus eſt: *ſe dæmonem eſſe, & magicis Finnorum incantamentis corpus humanum animare juſſum; parentibus enim ſuis, antequam id fieret, prolis procreandæ copiam fuiſſe negatam.* Vid. *Heimskr. ed. Hafn. Tom. I. pag.* 280. *Hiſt. Ol. Trygv. Cap. LXXXIII.* Ex nympha marina alter veluti Achilles natus traditur Grimus Ægirius. Vid. *Vit. Hrolfi Ped. Cap. II. Mſt.* Certe Siculum

qven-

qvendam sub Rege Rogerio juvenem ex foemina marina filium suscepisse, memoriæ prodit *Vincentius Hist. Libr.* 3. Verum ista suis auctoribus relinqvimus.

4) Giganteos istos Septentrionis nostri aborigines, cum *Saxo, Hist. Dan. Lib. I.* tum monumenta vernacula, qva eddico-mythica qva historica, satis copiose describunt, hisqve victum carnes, vestesqve ferarum pelles præstitisse docent. Ex notissimo hoc amictu foeminas giganteas peculiari nomine *Skinn-kyrtlor* appellat *Vita Ani' Bogsveigeri, Cap. X.* Conf. *Vit. Sturl. Laboriosi, Cap. IX.* nec non *Vit. Grimi Hirsutigenæ, Cap. II.* & *Oddi Sagittarii, Cap. IV. Mst.*

5) Boreales hos gigantes anthropophagos fuisse, docet *Vita Ketilli Hængi, Cap. II.* Conf. *Heimsk. ed. Hafn. Hist. Ol. Sancti, Cap. CLI. p.* 253.

6) Ejusmodi de Trollis s. gigantibus traditionibus referta sunt omnia fere vetustiora Septentrionis antiqvi monumenta historica. Ut enim *Eddas, Hervarar-Sagam, Hrafnistensis familiæ historias, Hauki Habroki Vitam, Olafi Trygv. Hist. ed. Scalh. P. II. Cap. XIII. p.* 29-33. *& p.* 35. 36. & plurimos alios auctores, ut, inqvam, nobilissimum Septentrionis historicum, Saxonem Grammaticum, (de qvo supr. *Not.* 4.), prætercam, suo rem ipse Sturlæsonius, vir a superstitione & fabulis anilibus satis cautus, testimonio suffulcit; nec in absolutissimo Historiæ Norvegicæ opere sibi temperavit, qvin horum Trollorum mentionem interfereret. Vid. *Heimskr. T. I. Hist. Halfd. Nigri, Cap. VIII. p.* 72. 73. & *Hist. Har. Pulchric. Cap. XXV.* 101. 102, item *T. II. Hist. Ol. Sti, Cap. CLI. p.* 252. 253. *Libri Originum Islandiæ*, s. *Landnamæ* auctor, historicus

 sane



fane gravis & verax, Rafni cujusdam meminit, cujus *familia materna fuit gigantea, (hann var risa ættar at móderni).* Vid. *Landn. ed. Hafn. P. II. Cap. XIX.* p. 119.

7) Vid. *Hist. Ol. Trygv. ed. Scalh. P. II. Cap. XXXIII.* p. 150. Droplaugæ ingenium & indolem annuum gigantis contubernium fic efferavit, ut hominum deinceps focietati & conjugio minus idonea patri fit vifa. Vid. *Fliotsdæla S. Cap. V. & VI. Mst.*

8) Inaufpicata cum foeminis giganteis conjugia plerumqve fuerunt; ex. gr. Haraldi Pulchricomi cum Snæfrida, vid. *Heimskr. ed. Hafn. T. I. p.* 102. Haraldi Herferi cum Grimhilda, vid. *Vit. Grimi Hirsutigenæ, Cap. I. & II.* Hinc Ketilli Hængi cum Hrafnhilda, muliere gigantea, conjugium improbavit & irritum fecit pater Halbiörnus Semigigas, filiumqve Ketillum ad matrimonium humanius invitum adegit. Vid. *Vit. Ketilli Hængi, Cap. III. & IV.* Illætabile gigantis conjugium abominanti Groæ feqventes verfus tribuit Saxo Gramm. *Hist. Dan. Libr. I. in Vita Grami,* qvi opiniones temporum de ejusmodi matrimoniis fcite fatis exprimunt:

Qvæ fenfus exfors fcortum velit effe gigantum?
Aut qvæ monftriferum poffit amare torum?
Qvæ conjux fore dæmonum
Poffit, monftrigeni confcia feminis?
Suum giganti qvæ fero
Confociare velit cubile?
Qvis fpina digitos fovet?
Qvis fincera luto mifceat ofcula?
Qvis membra jungat hifpida
Lævibus impariter locatis?

Cum

Cum natura reclamitat,
Haud plenum Veneris carpitur otium:
Nec congruit monſtris amor
Foemineo celebratus uſu.

§. XXII.

Amoris mutui ſibi conciliandi rationes vel honeſtæ fuerunt & licitæ, ut *munera* & *blanditiæ* (1), vel inhoneſtæ & illicitæ, qvorſum ſpectant *philtra* (2), *magici runarum characteres* (3), nec non *alia incantationum genera* (4). Ad modos acqvirendi uxores ſuo qvoqve modo *certamina ſingularia,* vulgo *Holmgaungur,* referri merentur, antiqviori & heroico ævo, qvod nihil non armis arrogabat, præſertim uſitata (5).

1) In Eddæ Sæmundianæ Oda, *Háva-mâl* dicta, bene præcipit Odinus, amandi ipſe artium haud ſane rudis:

Fagurt ſcal mæla	i. e. *Blande loqvatur*
oc fe bióda	*Et dona proferat,*
ſá er vill flióds áſt fá.	*A foemina cupiens amari,*
líki leyſa	*Formamqve laudet*
ens lióſa mans:	*Candidæ puellæ:*
ſá fær er fríar.	*Potitur qvi procatur.*

Et inferius.

Ef þú vilt þer góda konu	i. e. *Tu qvando vis bonam foeminam*
kvedia at gaman-rúnom	*Sollicitare ad mutuos amores,*
oc fà faugnod af.	*Tibiqve gaudio futuros,*

 Faugro



Faugro fcaldu heita — *Egregia promiſſa facito,*
oc làta faſt vera: — *Factisqve fidelis maneto:*
leidiz mangi gott ef getr. *Faſtiditur nemo beneficus.*

a) Potiones amatoriæ ſive PHILTRA, ut Romanis olim Græcisqve & aliis, ita priſcis Borealibus ſatis in uſu fuerunt. Verum horum non ſecus ac illorum qvicunqve cordatiores fuerunt, iſtam venena colchica tractandi artem non nefariam ſolum & dedecoram ſed damni qvoqve & periculi plenam exiſtimarunt; utpote qvæ, pro optato effectu, mentis delirium, morbos & mortem ſæpius inferrent, ſi a malevolis vel minus peritis medicatus ille potus exhiberetur. Nota ſatis exempla virorum, qvibus iſta pharmaca vel mentem alienarunt, vel vitam etiam ademerunt. Lucretium poëtam Euſebius, Lucullum Plutarchus, Imperatorem Caligulam Joſephus, Svetonius & Juvenalis hoc modo ad furias primum, moxqve ad mortem adactos teſtantur. Nec temere Ovidius:

Non data profuerint pallentia philtra puellis,
Philtra nocent animis, vimqve furoris habent.

Eum etiam effectum haud raro habuerunt philtra Borealium, ut, qvi ea ſibi porrecta bibiſſent, mentis & corporis valetudinem ſint experti. De Haraldo Pulchricomo Sturlæſonius perhibet: *Regem epoto, qvod Snæfrida tradiderat, poculo, illico membris velut ignis æſtu correptis, impotenti & inſano in puellam amore flagraſſe: hisqve furiis venereis deinceps adeo agitatum, ut omnem regni regiæqve dignitatis curam abjecerit; vixqve tandem tertio a morte Snæfridæ anno ex hoc faſcinatæ mentis lethargo convaluiſſe. Vid.Heimsk. ed. Hafn. Tom. I. p.* 102. Ingibiörga philtro pota non modo mentis & memoriæ uſum perdidit, ſed

cor-

corpore etiam intumescens livebat. Vid. *Hrolfi Ped. Vit. Cap XV. & XVII.* Effectum amoris Sigurdi Fabnericidæ, qvem philtro dato accenderat Brynhilda, cum prædicit *Griperus*, in *Edda Sæm. Od. Gripis-Spá*:

Hún firrir þic	i. e. *Illa dimovet tibi*
flesto gamni	*Plerumqve gaudium*
faugr áliti	*Pulchra conspectu*
fóstra Heimis.	*Alumna Heimeri.*
Svefn þú ne sefr	*Somno non sopiris*,
ne um facar dæmir.	*Nec negotia disputas*,
gára þú manna	*Non curas homines*,
nema þú mey ser.	*Nisi virginem obtuearis.*

Cæterum philtra Borealium pro vario, qvi petebatur, effectu, varia fuerunt. Si enim *potionem* qvamvis *medicatam, cujus virtus amori inserviat, philtri* nomine dignaberis, triplex philtrorum genus reperies; nempe 1) *somniferum*, 2) *obliviosum*, & 3) *eroticum*. *Primum* qvidem non conciliandi sed fruendi amoris causa dabatur. Baudvildam stupraturus Vaulundus, poculo somnifico eam consopivit. Vid. *Edd. Sæm. Od. Vaulundar-qv.*

Bar hann hana bióri	i.e. *Urgebat illam potu*,
þvíat hann betr vissi.	*Utpote qvi doctior*,
sva at hon í sessi	*Ita ut in sede*
Um sofnadi.	*Condormisceret.*

Secundum pharmaci amatorii genus oblivionem induxit, & exhiberi solebat illi, qvi anteriore hominis viventis vel mortui præoccupatus esset amore, qvi, ne novæ & excitandæ mentis cupidini officeret, prius erat restingvendus. Eandem scilicet viam ingressus est Virgilianus ille artis magister Cupido, qvi, cum



Didoni occultum inspirare ignem & fallere veneno pararet, prius *paulatim abolere Sichæum incipit*, qvam *vivo in Æneam prævertere amore animum reginæ tentaret. Æneid. Libr. I. Oblivionis* hoc *poculum, óminnisveigr*, in Edda Sæmundi aliqvoties vocatur. Tale Ingibiörgæ Mandillus, (vid. *Vit. Hrolfi Ped. Cap. XV.*), tale Sigurdo Fabneric. Grimhilda, (vid. *Vitam Sigurdi Fabneric. Cap. XX—XXX.*), tale eadem Grimhilda filiæ Gudrunæ, (vid. *Edd. Sæm. Gudrunar-qv. Prolog.*), exhibuere; eo qvidem consilio & effectu, ut Ingibiörga mariti Stefneri (Stephani) sibi dilectissimi, Sigurdus Brynhildæ, qvam tantopere deperibat, cuiqve fidem conjugii juratus dederat, & Gudruna mariti Sigurdi, jam occisi qvidem, sed sibi adeo desiderati, ut novos recusaret thalamos, obliviscerentur. Medicatæ autem huic Grimhildæ potioni obliviosam infuisse virtutem, qvæ & amorem mariti mortui, & injuriarum, ejus & filii communis cæde sibi factarum, qvibus exasperata Gudruna ab oblatis novis nuptiis abhorrebat, recordationem deleret, ipsius Gudrunæ verba testantur. Vid. *Gudrunar-qv.*

Færdi mer Grimhildr	i. e.	*Ferebat mihi Grimhilda*
full at drecka		*Poculum bibendum,*
svalt oc sárlict		*Algidum & acerbum,*
ne ec facar mundac.		*Ne offensas recordarer.*
þat var um aukit		*Illud erat auctum*
urdar magni		*Parcæ (fatali) potentia,*
svalkauldom sæ		*Præfrigido liqvore*
oc sónar dreyra.		*Et placatorio sangvine.*

Ad hanc qvoqve classem referri illa potio debet, qvam Gandula Hedino exhibuit, perqve eam Hedino Hildæ amorem inspiravit rabiosum, fatalem, & in amatæ paren-

parentes inhumanum. Vid. *Hist. Ol. Trygv. ed. Scalb. P. II. Cap. XVII. p.* 54. *Tertium* veneni amatorii genus hominem amore vacuum ad amandum incendebat, ideoqve, *philtrum proprie*, dici meretur. Ejusmodi philtro Götvara Hanundæ animum & amorem Frothoni conciliavit, teste Saxone Gramm. Vid. *Hist. Dan. Libr. V. in Vit Frothonis III.* In eundem etiam Frothonem Alvildæ amorem philtro Craca deflexit, teste Saxone: *Cracam qvoqve traditum est, exhibitæ potionis temperamento Frothonis amori virgineam adegisse cupiditatem.* Vid. *Hist. Dan. Libr. V. p.* 80. Tale philtrum Haraldi Pulchric. mentem ad insanum Snæfridæ amorem furiavit. Vid. *Heimskr. loc. supr. cit.* Simili qvoqve amoris veneficio Brynhilda Sigurdum Fabnericidam sibi devinxit. Amoris enim conciliatricem potionem hic Brynhildam Sigurdo propinasse, ex effectu satis liqvet; nec non ex claris ipsius Brynhildæ verbis. Vid. *Edd. Sæm. Od. Sigrdrifo-mál:*

Biór færi ec þer	i.e. *Potum tibi porrigo,*
bryn-þíngs apaldr	*Bellicose heros,*
magni blandinn	*Virtute temperatum*
oc megin-tíri.	*Et inclyto valore.*
fullr er hann lióda	*Plenus is est carminibus,*
oc lícn-stafa	*Ac opitulantibus literis,*
gódra galdra	*Magia salutari &*
oc gaman-rúna.	*Runis amatoriis.*

Idem etiam docet solennis illa formula, qva poculum Sigurdo porrigens Brynhilda deos deasqve, qvasi enascentis amoris auspices, invocat. Vid. *Edd. Sæm. Od. cit.*



Heill dagr i. e.	*Salve Dies!*
heilir dags ſynir	*Salvete Diei filii!*
heil nótt oc nipt.	*Salve Nox cum nata!*
óreidom augom	*Lumine placido*
lítid ockr þinnig	*Nos heic adſpicite!*
oc gefid ſitiondum ſigr.	*Et ſedentibus vota ſecundate!*

Reliqva porro numina, & hæc inter *Opem Tellurem*, implorat. Subit illa Didonis, primam in convivio pateram libantis & propinantis, formula ſolennis, occultiqve ea amoris diſerta ſatis index deorum invocatio:

Juppiter, hoſpitibus nam te dare jura loqvuntur,
Hunc lætum Tyriisqve diem Trojaqve profectis
Eſſe velis, noſtrosqve hujus meminiſſe minores!
Adſit lætitiæ Bacchus dator & bona Juno!

Juno ſcilicet, non modo Carthaginis tutelare, ſed conjugii qvoqve ineundi auſpex numen. Vid. *Æneid. Libr. I.* *Noctem* autem dum ſalutat Brynhilda, eodem ſpectare videtur, qvo Horatius ad Lyden, *noctem Cypridi jungens. Carm. Libr. III. Od. XVIII.*

Summo carmine, qvæ Cnidon
Fulgentesqve tenet Cycladas, & Paphon
Junctis viſit oloribus:
Dicetur merita Nox qvoqve nænia.

Cæterum amatorium iſtud Brynhildæ poculum, *minnisveigr, potus memorialis*, in *Edda* vocatur, qvippe qvo exhibens ſui memoriam bibenti commendabat. Non negaverim qvidem, vocem, *minnis-aul*, qvalis in *Edd. Sæm. Od Hyndlo-lióđ, Str. XLI. ed. Hafn. p.* 342. 343. occurrit, medicatam potionem, memoriæ qvaliscunqve, etiam ubi nullum amoris negotium agitur, datricem ſignificare. Verum poculo, qvod Sigurdo Bryn-

Brynhilda propinavit, vim eroticam infuiſſe, ſuperius allata docent. Medicatus iſte potus, qvo mariti memoriam & amorem Ingibiörgæ Mandillus reſtituit, *minnis-aul* dicitur in *Vit. Hrolfi Ped. Cap. XVII.* Nec tamen diſſimulandum, qvosdam Eddæ Sæmundianæ codices chartaceos, eosqve notæ melioris, poculum hoc Brynhildæ, non *minnis-veigr*, ſed *myunis-veigr*, i. e. *potum amatorium*, appellare; voce nimirum a *munr* vel *munud* derivata, qvorum illud in *Edda Sæmundi* ſæpius, hoc in *Niala*, *Cap. VI. & VII.* occurrens, *amorem* & *voluptatem ex amore perceptam* ſignificat. Ea, qvæ philtrorum compoſitionem ingredi ſolebant, noſſe qvi cupit, exteros qvod attinet, *Horatii Canidiam* conſulat. Recentiorem, ut videtur, mixturam (ex *S. Majoli Libr. & Cap. cit.*) animi cauſa dabo. *Fluores menſtrui, ſperma, cerebrum felis vel aſinini pulli, uterus hyænæ, virga lupi, remora, oſſa rubetæ, ſcinci, hippomanes triplex, ſuum apria.* Horum cum nonnulla in terris Borealium vix haberi potuerint, eos etiam philtra ſua ſimplicius, & aliqvanto honeſtius miſcuiſſe crediderim. En autem temperaturam potionis obliviosæ Gudrunæ datæ, ex *Edd. Sæm. Od. Gudrunar-qv.*

Voro í þeim bióri	i.e. *In illam potionem*
baul maurg ſaman.	*Nociva multa convenerunt:*
Urt allz vidar	*Germen omnigenæ arboris,*
oc akarnin.	*Et acernum (v. querneum),*
umdaugg arins	*Foco circumplua (fuligo),*
idrar blótnar	*Exta victimarum,*
ſvíns lifr ſodin	*Suis hepar elixum,*
þvíat hon ſacar deyfdi.	*Qvippe qvod odia ſopiret.*



Porro amatoria hæc venena certis characteribus apud boreales confecrari fvevere, qvi, formulis incantatoriis rite adhibitis, potioni medicatæ magicam addere virtutem credebantur. Hinc Brynhilda fcyphum, qvem Sigurdo porrexit, opitulantibus & amatoriis literis, nec non carminibus plenum dicit; de qvo fupra. De lethæo autem, qvod modo memoravimus, poculo feqventia habet *Gudrunar-qvida:*

Voro í horni i. e	*Inerant poculo corneo*
hverskyns ftafir	*Omnis generis literæ,*
riftnir oc rodnir	*Incifæ & rubro tinctæ,*
ráda ec ne máttac.	*Qvas interpretari neqvibam.*
lyng-fifcr lángr	*Ericæ pifcis longus*
landz hadingia	*Terræ luporum,*
ax ófcorit	*Arifta non fecta,*
innleid dyra.	*Introitus animalium (forium).*

In verfu antepenultimo pro *badingia*, lego *heidingia*, facili literarum permutatione. *Heidingi* autem eft *appellatio lupi* eddica; *luporum terra* eft defertum f. *eremus*, nota ferpentum fedes. Tres vero characteres magicos appellatione ænigmatico - fynonymica, a characterum vel figura vel nomine defumta, utens, hic Gudruna indigitat. Horum primum *ferpentem eremitanum*, fecundum *ariftam non fectam*, tertium *os hians animalium*, aut *fores patulas* vocat. De qvibus qvid ego qvidem, falvo cujusvis judicio, fentiam, infra commodior exponendi locus dabitur. Qvemadmodum autem exteræ olim gentes contra philtra & alia mala medicamenta variis fe *amuletis* munire folebant, inter qvæ *cyclamini radix*, *fuccinum* & *jafpis* Plinio & aliis laudantur, ita fua Borealibus antiqvis adverfus amatorias & alias venenatas potiones *phylacteria* fuerunt.

Harum

Harum artium satis consulta Brynhilda discentem amasium sic instituit. Vid. *Edd. Sæm. Sigrdrifu-mál:*

Aulrúnir scaltu kunna	i.e. *Characteres poterios noscito,*
ef þù vill annars qvæn	*Cauturus, ne alterius uxor*
vælit þic í trygd ef þú truir.	*Te credulum perfida decipiat.*
á horni scal þær rista	*In scypho corneo illi incidendi,*
oc á handar baki	*Atqve in manu adversa,*
oc merkia nagli naud.	*Ungveqve litera N signanda.*
full scal signa	*Poculum verbis sacrandum,*
oc vid fári siá	*Et pernicies providenda,*
oc verpa lauki í laug.	*Ac cepa injicienda potui.*

Tria scilicet fuerunt, qvibus Circæa ista sacra fere constabant; nempe *characteres magici, formulæ incantatoriæ,* & *vires naturæ occultiores.* Posteriora duo memorat versus ille Virgilii: *Miscuerunt herbas & non innoxia verba.* Omnia vero avertendis amoris veneficiis adhibenda hic præcipit Brynhilda. Cæterum *averruncis characteribus* a veneno hostili sibi cavit Egillus Skallagrimi filius. Cultri enim punctu sangvinem sibi e vola elicuit, runicosqve characteres crateri corneo insculpsit, iisdemqve proprium illevit sangvinem. Vid. *Eigla, Cap. XXVII.* Hæc de philtris.

3) De *characterum magicorum* in philtris seu veneficiis amatoriis tam præparandis qvam refutandis usu supra jam diximus. Verum citra potum etiam in animum & amorem foeminarum virtute magica dominari existimabantur hi characteres. Fuerunt autem illi vel *hostiles* vel *amatorii. Hostiles* s. *malefici* foeminas, redamare nolentes, ad furias & mentis impotentiam redegerunt, atqve adeo amorem spretum ulciscebantur. Tales Gerdæ, nisi in Freyeri amorem consentiret, minatur Skirnerus. v. *Edd. Sæm. Od. För Skirn, Str. XXXVI.*

þurs



Þurs rist ec þer i. e. *Gigantem tibi sculpo*,
oc þriá stafi *Et tres characteres*,
ergi oc ædi oc óþola. *Feram rabiem & inqvietem.*

Tria illa, qvæ versu ultimo continentur, sunt nomina characterum, ab eorum virtute & effectu magico haud dubie conficta. Conf. *Edd. Sæm. ed. Hafn. p.* 85. *Þurs* autem appellative *gigantem*, proprie *literam alphabeti runici*, qvæ vulgo etiam nunc usitatæ Þ figura & potestate respondebat, denotat. Illius autem magica virtus erat, ut foeminas in amore refractarias puniret & compesceret. Eadem qvoqve est ratio, cur in carmine mnemoneutico, qvod literarum runicarum nomina & potestates recenset, de litera *þurs* hæc verba habeantur: *þurs veldr kvenna kvillo*. i. e. *þurs ægras facit mulieres*. Vid. *Ol. Wormii Literat. Run. Cap. XIX. p.* 95. De qvo minus cogitavit interpres verborum, dum ea sic exponit: *þurs est spectrum foeminis infestum;* verum non larvas, sed virtutem characteris magicam, qvæ pestis erat foeminarum, auctor carminis innuit. Vid. *Libr. cit. p.* 98. 99. *Amatorii Characteres* foeminas ad amandum directe stimulabant, cujusmodi characteres *man-rúnir*, s. *runæ muliebres* vocari sveverunt. Vid. *Eigla, Cap. LII* Illos etiam Brynhilda *góda galdra*, *magiam beneficam s. amicam*, item *gaman-rúnir*, i. e. *runas eroticas*, in carmine supra allato appellare videtur. Characteres hi erotici bacillo ligneo plerumqve incidi solebant, & vel in lecto hominis fascinandi, vel sub limine domus, qvam intraturus, vel alibi, qva transiturus esset, poni solebat. Tale bacillum, runis eroticis inscriptum, memorat magnus ille Antiqvitatum patriarum stator *O. Wormius*, cujus hæc in *Literat. Run. Cap. XXVI.*

p. 132.

p. 132. *Qvin & in archivis meis ejus generis lignum, teneo, qvod amatorias literas continere videtur.* De ejusmodi bacillo, runis qvibuscunqve perarato (vulgo *rúna-kebli*), intelligenda sunt hæc *Ven. Fortunati, Libr.* 8. *Epigr.* 18. *Barbara fraxineis pingatur Runa tabellis.* Ut vero documento historico rem adstruam, luculentum ejusdem exemplum suppeditat *Vita Egilli Skallagr. f.* Ille enim ad tributa regia exigenda in Gothiam forte profectus, incidit in foeminam langvore corporis & insomnia laborantem. Miri hujus & immedicabilis mali causam investigans Egillus in lecto affectæ bacillum offendit, characteribus magicis inscriptum. Compertumqve deinceps est, auctorem mali fuisse virum qvendam, qvi nuptias puellæ ambiens repulsam tulerat; ideoqve, qvo amorem cupitæ in se pertraheret, eroticos hos characteres in foeminam sculpserat, sed qvi ungves non satis admorsos saperent. Per artis enim imperitiam in characterum incisura adeo peccaverat, ut non sui amorem, sed mentis & corporis ægritudinem mulieri infuderit. Vid. *Eigla, Cap. L. & LII.* Qvemadmodum autem philtris excitatus amor certis antidotis restingvi poterat, ita characterum magicorum amoris conciliatrix efficacia sua qvoqve ratione traditur sublata, eaqve duplici: nempe, vel *characteres eroticos abradendo & exsculpendo*, qvo omnis eorum virtus intermoriebatur, vel *novos & contrarii effectus characteres incidendo.* Priorem rationem Skirneri ad Gerdam verba docent, cui cum maleficos characteres comminatus esset, addit seqventia: vid. *Edd. Sæm. Od. För-Skirnis. Str. supra cit.*

Sva



Sva ec þat afrift i. e. *Ita id exsculpo,*
sem ec þat áreist *Qvemadmodum insculpsi,*
ef geraz þarfar þess. *Si opus visum fuerit.*

Utraque autem ratione usus est Egillus: characteres enim vitiosos abrasit, & una cum bacillo, cui inscripti fuerant, combussit, eorumqve loco alii bacillo alios characteres incisos cervicali, cui indormiebat puella, inclusit, eoqve modo fascinatæ prius foeminæ mentis & corporis sanitatem paulatim restituit. Vid. *Eigla, l. cit.* Enimvero, qvod erotici characteres etiam extra septentrionem usitati fuerint, testem idoneum habemus *D. Hieronymum*, cujus hæc: *Amator magicis artibus instructus ab Æsculapii sacerdotibus rediit, & subter limen domus puellæ tormenta qvædam verborum, & portentosas figuras, sculptas in æris cyprii lamina, defodit. Et illico amore insanire virgo, & amictu capitis abjecto rotare crinem, stridere dentibus, inclamare nomen adolescentis: magnitudo qvippe amoris eam in furorem verterat.* Vid. *S. Majoli Libr. & loc. supr. cit.* De magicis autem hisce characteribus mentionem faciens, non possum qvin cordato *Arngrimi Jonæ* judicio & sententiæ subscribam. Ita vero ille, apud *Wormium*, in *Literat. Run. Cap. V. p.* 34. 35. *Existimo verisimile esse, magos literatura aliqva usos, & qvidem vulgari majori ex parte, sed virgulis & punctis, suo marte excogitatis, corrupta.* Certe notissimis alphabeti runici literis, *Naud* (N) & *þurs* (þ), virtutem magicam Edda Sæmundi tribuit, locis supra allatis. Nec difficile foret characteres poculo Gudrunæ dato insculptos, qvos *serpentem, aristam non sectam, & fores* vel *hiatum* nuncupat, ad figuras Runarum alphabeticas revocare. Nimirum figura *Sól* & *Knesól,*

(*S*)



(*S*), ferpenti non diffimilis. Ariftæ forma a charactere runico *Fe* (*F*), non multum abludit, præfertim fi ejus pars fuperior ab altero latere virgulis qvibusdam inftruatur. *Arifta non fecta* nominari videtur, five, qvod figura characteris erecta ftare deberet inftar ariftæ non demeffæ, five qvod ea lineolis infra verticem transverfis aut decuffatis, qvod in Runis alias folenne, non effet interfcindenda, qvippe qvod poteftatem & virtutem characteris variaret. Utrum vero Arifta hæc cum alio charactere magico, qvi feqviori ævo *Arons-vaundr*, i. e. *virga Aronis*, dicta, qvicqvam habeat commune, aliis indagandum relinqvo. Tertii characteris nuncupatio orthographica qvadam amphibolia, in voce *dyra* latenti, impeditur. Si enim *y* craffius efferas, *innleid dyra* eft *introitus* f. *hiatus animalium*. Qva occafione fubeunt nomina literarum magicarum, noftra etiam ætate non ignotarum, *Gapandi* & *Ginfaxi*. Horum utriusqve nomen hiatum f. hiantem denotat; figura vero, qvam alicubi vidiffe mihi videor, a litera alphabeti runici *Madr* (*M*), qvæ furcam qvodammodo repræfentat, fi recte memini non admodum differt. Sin *y* tenue placuerit, *innleid dyra* eft *introitus forium*, five *fores apertæ*. Nimirum poftes duo cum fuperliminari conjuncti ferale Græcorum Π, famofum illud patibuli notaculum, efficiunt. Eadem vero hæc figura in tabulis Runarum alphabeticis Wormii invariata vifitur, & literam (*P*) valere dicitur. Vid. *Literat. Run. Cap. VI. p.* 49. & *Cap. IX. p.* 60. Nomen igitur, qvod huic characteri indidit Gudruna, figuram utiqve patulam, & qvidem malignam, indigitare videtur, qvæ five *patibulo* five *furcæ* fimilior fuerit, nec mea refert, nec, ut opinor,

 lecto-



lectoris, cujus acriori judicio in has conjecturas, nullo negotio multiplicandas, plenum ego arbitrium non indignanter concedo. Haud piget huc transscribere reliqva Arngrimi de magicis Borealium characteribus verba. *Runicas sua origine literas, nihil habere magicum, cuivis facile persvaderi poterit. Pro confesso enim sumimus, nullam omnino characteribus ullis naturaliter inesse potentiam, sed tantum propter societatem a magis cum diabolo initam. A qva alieni & immunes non habentur vulgo characteres excogitati, sive runici, sive alii, sed depravatissimi & deformatissimi. Qvi idcirco amplius non sunt runici, sed magici & diabolici, & nullis nisi ejusdem artis consciis noti. Sic ad palliandum veneficium carminibus vel rythmis alii usi sunt, & qvidem lingva vulgari & vernacula, qvibus vim omnem adscribere norunt, etiam ad benefaciendum. juvandum, medicandum, tam animi qvam corporis morbis, atqve ad ipsos cacodæmones pellendos & fugandos.* Vid. O. *Wormii Lit. Run.* Cap. *V.* p. 35. Eroticorum characterum vestigia me apud Græcos Romanosqve, qvi tamen satis amplum artis incantatoriæ apparatum habuerunt, invenisse non memini. Videtur ergo *Magia* hæc *symbolica* Borealibus fuisse peculiaris, qvippe, ab Odino in Septentrionem invecta, indeqve cum emigrantibus incolis in reliqvam Europam sensim dispersa. Vid. *Heimskr. Ynglinga-S Cap. VII. ed. Hafn. T. I. p.* 11. 12. Cui etiam suffragantur *Wulfg. Lazii* verba: *Litteras, qvibus usi sunt Marcomanni, qvos nos Normannos vocamus, infra scriptas addidi, cum qvibus carmina sua incantationesqve ac divinationes significare procurant, qvi adhuc pagano ritui involvuntur.* Qvas qvidem literas ipse inspiciens *Wormius*, cum

eum vulgari Runarum borealium alphabeto fere easdem esse observavit. Vid. *Lit. Run. Cap. cit. p.* 34. Antiqvissimæ tamen originis & Odino longe vetustiores eas fuisse, & ipse fatetur Odinus, in *Edd. Sæm Od. Runa-Cap. Str. V. VI.* & Ægyptiorum characteres magici perdocent, apud *Worm. Libr. & loc. cit.*

4) Carmina s. incantationes magicas ciendis amoribus olim apud exteros inserviviſſe, dubitare non potest, qvicunqve vel *Virgilii Daphnim* & *Horatii Canidiam legerit.* Cæterum, prouti philtra & characteres, ita voces etiam thessalæ, seu formulæ istæ incantatoriæ amorem vel excitabant vel sopiebant. Sic Varum veneficæ scientioris carmine suis incantamentis solutum ambulare, Horatiana Canidia intellexit. Idem qvoqve de Massyla Didonis sacerdote canit *Virgilius, Æneid. Libr. IV.*

Hæc se carminibus promittit solvere mentes
Qvas velit, ast aliis duras immittere curas.

Ut autem ad Boreales revertar, illis etiam Æsa carmina s. incantationes amoris foeminei eliciendi instrumenta fuisse, vel ipse docet Odinus, qvi in *Eddæ Sæm. Od. Runa-Cap.* inter octodecim, qvas calleat, artes, hanc mulierum mentis fascinandæ scientiam jactabundus numerat. Hinc Brynhilda poculum, qvod Sigurdo propinabat, *plenum carminibus & beneficis incantamentis esse* dicit. Qvin & ipsa deorum dearumqve invocatio, qva & Brynhilda, (de qvo supra), & *Skirnerus*, in *Edd. Sæm. Od. Skirnis-f. Str. XXXIV.* usi sunt, ad magicas istas formulas referenda est; non secus ac illa philtrum parantis Canidiæ, vid. *Hor. Epod. Od. V.*



O rebus meis
Non infideles arbitræ,
Nox, & Diana, qvæ silentium regis,
Arcana dum fiunt sacra;
Nunc nunc adeste!

Unicum ex *Edd. Sæm. Od. Háva-mál*, incantamenti amatorii documentum subjiciam:

Fiölcunnigri kono	i. e. *Foeminæ veneficæ*
scáltu firra þic í fadmi sofa	*In brachiis care dormias,*
svat hon þic lióđom lyki.	*Qvo te carminibus vinciat.*
hon sva görir	*Illa enim faciet,*
at þú gáir eigi	*Ut fastidias hominum*
þings ne þíodans máls.	*Conventus & colloqvia.*
mat þú villat	*Cibum tu recusabis*
ne mannzkis gaman	*Et qvævis solatia;*
ferr þú sorga-fullr at sofa.	*Ibis dormitum anxius.*

Foeminæ cujusdam, nomine Olufæ, magicis vel characteribus vel incantamentis ad vesaniam redactæ, meminit *Landnáma, P. II. Cap. XIX p.* 119. Typicam sive effigiariam erotopoiam, Romanis aliisqve satis solennem, apud Boreales nondum reperi. Curiosa magis ista, qvam utilia, qvis dixerit: nec inficior. Cum nostro tamen instituto qvodammodo cohærent, locisqve qvibusdam auctorum sub obscuris, & moribus majorum noscendis, qvantulamcunqve affundunt lucem. Nec ea nunc noxia crediderim. Nostræ enim ætati ab incredulitate prophana, cui luminosa veritas, qvæ furvas istas superstitionum inanias dudum edomuit, vix satis sapit, qvam ab anili majorum credulitate, plus eqvidem est periculi.

5) Veteres Boreales armis & monomachia sibi conjugia qværere solitos, si exemplis irem adstructum, guttam mari

mari demere merito dicerer. Hujus enim rei documentis omnes fere hiſtoriæ refertæ. Ecqvis enim neſcit, ut omnigenas fere lites & diſſidia, ita corrivalium æmulationes, duellis olim in Septentrione dirimi tolliqve ſveviſſe. Bello Helgius & Sinfiötlius, vid. *Edd. Sæm. Od. Helga-qv. Hundings-b.* item *Sinfiötla-lok.* certamine ſingulari Skiöldus Daniæ rex Avildam (forte Alvildam), teſte *Saxone*, *Hiſt. Dan. Libr. I.* Sturlaugus Aſam, vid. *Vit. Sturl. Laborioſi, Cap. IV.* Thorgilſus Gudrunam, vid. *Flóamanna S. Cap. XV. & XVI.* aliiqve innumeri, uxores meruere. Conf. *J. C. Cleſſel. Antiqvit. Germ. Sept. Cap. I. §. VII.*

§. XXIII.

Matrimonium jam initum jus geminum dabat marito, nempe, I) *in uxorem*, & II) *in liberos.* Jus mariti patris in liberos, qvod *poteſtatem patriam* conſtituebat, qvod attinet, ejus prima, & qvæ ex matrimonio proxime fluebat, pars fuit famoſum illud jus vitæ & necis, qvod in liberos recens natos Boreales ethnici habebant & exercebant; nimirum *jus* proprios *infantes exponendi* & *ſuſcipiendi* (1). Reliqva poteſtatis patriæ capita, cum ad educationem liberorum propius pertineant, etiamſi ad effectus matrimonii remotiores



referri debeant, hic intermittimus. Mariti autem in uxores dominium apud Romanos maximum (2), nec apud Boreales exiguum fuit. Præter enim rei domesticæ penuariæ dispensationem, *qvam potestatem clavium* Romani (3), *rád innan-stocks* Boreales vocabant (4), pauca in uxoris arbitrio sita fuisse constat, si sua potestate maritus austerius uti vellet. Certe injussu mariti nec enutrire liberos (5), nec filias elocare licebat uxori, nec earum sententia in eligendis generis qvicqvam valoris habebat, nisi qvantum indulgentia mariti concesserit (6). Et in omnibus, qvæ foris (*utan-stocks*), agenda, negotiis, arbitrium uxoris aut exiguum, aut nullum (7). Ne domo qvidem ad parentes aut necessitudines invisendas sine venia mariti longius proficisci uxor poterat (8). Qvemadmodum autem fuere viri, qvi nimia severitate suo dominio abusi sunt, ita nec uxores defuerunt, qvæ jus suum extendere, virosqve sibi obnoxios reddere nossent (9). Ejusmodi *mariti uxorii, at hafa qvan-ríki* v. *ofqvæni* dicebantur (10.)

1) Ex

1) Expositio infantum, ut omnibus fere gentibus olim solennis, ita Græcis plerisqve, si Thebanos excipias, apud qvos lege vetitum infantes exponere. A Græcis ad Romanos mos iste transiit. Apud hos infantes recens nati *humi ponebantur*, deinde consultus pater eos vel *exponi*, vel *tolli* jubebat; cui rei *Levanam* deam præfecerunt. Auctorum testimoniis in re tam nota non est opus. Interim, si placet, conferri poterit *S. Pitisci Lex. Antiqvit. Rom.* ad voc. *Expositio.* Triplicis autem istius ritus, in puerperiis Borealium olim observati, manifesta vestigia apud auctores repeririuntur. Et qvidem I) de *humi positione infantum recens natorum*, priusqvam vel exponerentur, vel tollerentur & lustrarentur, insignis est *Landnamæ* locus; ubi Asgrimo cuidam natus *infans in pavimento*, (ɔ: humi) depositus *jacebat*, qvem pater exponi jussit; vid. *P. V. Cap. VI.* Idem qvoqve ex *Gunlogi Ormstungæ Hist. Cap. III.* colligi potest, ubi infantem recens natam, qvam exponi pater jusserat, humo levatam sibiqve suscipiendam tradere volentes foeminas Jodisa mater prohibuit. Ita Freysteinus jussu Thorkilli Oddnyam adiit, infantemqve (humi scilicet jacentem) sustulit & domo egressus est. Vid. *Hist. Ol. Trygv. P. II. Cap. XIII. ed. Scalh. p. 23.* II) *Expositio infantum* apud Boreales crebra satis fuit, semper tamen magis licita qvam honesta videbatur. De hac consuli potest eruditissimus Perillustr. *Joh. Erici*, Viri de patria ejusqve antiqvitatibus optime meriti, *de expositione infantum apud veteres Septentrionales Tractatus*, ad calcem *Vitæ Gunlogi Vermilingvis, Hafniæ 1775. recusus p. 194. & seqv.* Coeterum exponendi arbitrium penes illum erat, qvi imperio in familiam gaudebat. Cum vero



pater infantis ordinarie esset *caput familiæ*, non mirum, si hic solus exponendi jure gauderet. Si vero *infans* esset aut *sine patre*, aut illo orbatus, exponendi potestas ad eum redibat, in cujus tutela fuit mater. Hinc Oddnyæ sororis infantem sine patre exponendum curavit Thorkillus; vid. *Hist. Ol. Trygv. l. c.* III) Sin enutriri placeret, *tolli infans*, humoqve levatus ad patrem ferri solebat; qvem ritum, *at bera barn at faudor sinom*, veteres dixerunt. Traditum sibi *infantem ulnis excipiebat pater*, (*sobolem* tollendam *suscipere* Romanis vocabatur), & *ex vultus inspectione futuræ indolis & fortunæ auguria captans, nomen suscepto indidit, aqvaqve lustrali spargendum curavit.* Solennem hunc *susceptionis paternæ ritum* exemplis jam adstructum ibimus. De Thorsteino Ingimundi Grandævi patre sic habet *Vatzdæla, Cap. VI. Filium Thorsteino uxor peperit, qvi recens natus patri rite suscipiendus ferebatur*, (*var borinn at faudor sinom*). *Hunc intuens Thorsteinus, puer, inqvit, ille avum maternum Ingimundum nomine referet; futurumqve ex nomine fortunatum auguror.* Et de Ingimundo Grandævo, *loc. cit. Cap. XII. Hoc circiter tempore infantem enixa est Vigdisa, masculum illum & perpulcrum. Infantem* (nempe suscipiens) *obtuitus Ingimundus, istius, inqvit, pueri cordatam indolem compositi oculorum ictus prænuntiant. Nomine haud longe qvæsito Thorsteinus vocabitur, comite precor nominis fortuna!* Et paulo post: *Secundum porro filium procreavit, qvem, ubi patri etiam rite suscipiendus & nomine impertiendus ferebatur, intuens Ingimundus dixit: nihil non grande puer ille minatur, acribus præditus oculis. Paucos, si vita suppetierit, habiturus pares, animiqve parum flexibilis*

xibilis erit; amicis tamen & necessariis fidus, virqve, nisi nihil cerno, fortissimus existet. Enimvero avunculi mei Jöculli, ex rogatu patris, nunc me meminisse res jubet: Jöcullus igitur nominabitur. Matres etiam infantes suscepisse videntur, præsertim absente vel enutriri permittente patre. Hinc Asgrimi infans, dum exponendus humi jaceret, utriusqve parentis susceptionem versibus octostichis flagitabat & obtinuit. Vid. *Landn. loc. supr. cit.*

Látit mic til módor i. e. *Ferte me ad matrem,*
mer er kallt á gólfi. *Humi jacens algeo.*
hvar man sveinninn sæmri *Ubi puer erit decentius,*
enn at sins födurs örmum. *Qvam patris in brachiis?*

De Jodisa habet *Vita Gunl. Ormst. l. supr. cit. Konor vildo bera barnit at henni, enn hon qvad þess litla þörf.* ɔ: *Mulieres infantem illi* (matri) *suscipiendam ferre volebant, qvod illa parum attinere dixit;* ne scilicet marito palam immorigera videretur, si, qvam exponere ille serio præceperat, ipsa susciperet. Tantum porro susceptioni paternæ ponderis inerat, ut hoc ipso ritu infans non modo vita donaretur, sed & a patre pro sua prole agnosceretur. *Liberi a patre non suscepti, börn úborin,* dicebantur. Hinc Unius Gardari filius cognomen, *Uborni*, ɔ: *non susceptus*, sortitus est; utpote qvi absqve auctoritate patris, tum forte peregrinantis, esset enutritus. Vid. *Landn. P. IV. Cap. IV.* In *Vita Kormaci* etiam occurrit foemina, *Steinvör hin úborna;* cujus cognominis alia origo ne conjectari qvidem potest. Hinc Mirgiolæ fidem deprædicat *Landnamu, P. II. Cap. XVI. Mirgiol vardveitti barn drottningar úborit, medan hon var i laugo.* ɔ: *dum regina balneo uteretur, infantem ejus*



non susceptum Mirgiola custodivit; clanculum nempe, nec sine periculo nutriendum intelligo, alias enim illa custodia vix tantæ fidei opus. Liberos a se non susceptos, atqve adeo suo injussu nutritos, inficiari patres poterant; susceptos non item. Infantes enim a patre suscepti, lustrali statim aqva spargebantur, indito simul nomine. Lustrati autem, sive ritu gentilium baptizati, absqve nefariæ cædis crimine exponi aut interfici non poterant. Hùjus rei evidens documentum exhibet *Hördi & Holmevsium Historia, Cap. VII.* *þat var þá mord kallat, at bera út börn upp frá þvi þau voru vatni ausin* ɔ: *Infantes jam lustratos exponere nefaria cædes habebatur.* Ad hanc porro susceptionem infantum respicere mihi videtur auctor octostichi a regis Knuti Magni, Londinum oppugnantis, militibus cantati:

Margr fer ùllur í illan
oddsenno dag þenna
fiar þar fæddir várom
fornan serk um bornir.

Qvod ego sic redigo & intelligo: *margr oddsenno ullur fer þenna illan dag i fornan serk, fiar þar fæddir várom um bornir.* ɔ: *Sævo hoc die præliantium multi veterem loricam induent, procul a loco, ubi nos mater peperit, pater suscepit.* Vid. *Knytlinga S. Cap. XIV.* Hinc vocula, *borinn,* qvoties de liberis ad patrem refertur, proprie non genitum aut procreatum, sed *susceptum* significat, etiamsi eodem plerumqve recidat, cum proprios infantes tollere patrum esset; ex. gr. in *Edda Sæm. Od. Hyndlu-liód, Str. XI.* *þú ert Ottar. borinn Innsteini &c* ɔ: *Tu, Ottare, ab Insteino susceptus (progenitus) es.* Qvemadmodum ipsum latinorum *suscep-*

susceptus, ob eundem liberos tollendi ritum *genitum* usu denotat. Cæterum præter susceptionem paternam habuerunt olim Boreales ethnici *susceptionem* qvandam *vicariam*, qvando qvis alienis liberis, patre vel mortuo aut absente, vel vivo etiam & præsente, susceptoris officium præstaret. Vicaria hac susceptione aut I) *infantes* tollebantur, aut II) *pueri*. Illa *susceptio* vel 1) *nude* baptismalis s. *lustrica* fuit, vel simul 2) *honoraria*, vel 3) *nutritia*, vel deniqve 4) *adoptiva*; hæc semper nutritia & tutelaris fuisse videtur. *Susceptio vicaria infantum nude baptismalis* locum habuit, qvoties infantem alienum, vel absente patre, vel jubente aut permittente, aqva lustrica spargendum & nomine impertiendum, absqve tamen ulla nutriendi aut adoptandi conditione qvis suscipiebat. Lege tamen honestatis amore & benevolentia, qvos susceperunt, proseqvi omnes tenebantur; qvæ consvetudo sacris christianis in Septentrione est antiqvior. Helgius Droplögæ filius ultimo & sibi fatali conflictu, cum adversarium Helgium Asbiörni filium occisurus procederet, ad Össurum qvendam adstantem sic fatur: *Þar stendur þú Össur, oc man ec ecki vit þer siá, því þú ióst mic vatni* »: *Te illic stantem, Össure, non cavebo, eo qvod me infantem aqva lustraveris.* Qvæ tamen opinio Helgium fefellit, utpote qvem prætergredientem & incautum Össurus hasta transfixerit. Vid. *Fliótzdæla, Cap. XXX.* Istis igitur ethnicorum susceptoribus s. *patribus lustricis* christianorum *patrini* successerunt. Tale officium Magno, Regis Olafi Sancti filio, Sighvatus poëta, (vid. *Heimskr. T. II. Cap. CXXXI. p.* 200.), nec non Thoræ, Thorbergi Arnini filiæ, Steinus Skaptii f. (vid. *Libr. & T. cit.* *Cap.*



Cap. CXLIIX. p. 235.), præſtiterunt. *Honoraria* infantum *ſuſceptio* dici poteſt, ubi in eligendo ſuſceptore nobilitas & potentia, nec non ſpes favoris & patrocinii, citra tamen ullum nutriendi aut adoptandi promiſſum, præſertim ſpectabatur. Huc referenda ſunt verba Snorrii, in *Heimskr. T.I.Hiſt Har.Pulchric. Cap. XL. p.* 118. *Sá var þá ſidr um gøfigra manna börn, at vanda menn miöc til at auſa vatni oc geſa nafn.* ɔ: *Circa hominum nobiliorum atqve præſtantiorum liberos erat tunc temporis conſvetudo, ut ſtudioſe eos qværerent, qvibus infantem aqva luſtrandi, ipſiqve nomen imponendi committerent negotium.* Hoc de ethnica tempeſtate dictum. Idem qvoqve primis chriſtianæ religionis temporibus moris fuiſſe, monſtrant verba Steini, Thoram Thorbergi filiam ſuſcipientis. *Libr. cit. T. II. p.* 236. *Steinn ſvarar ſva, at hann mundi eigi ſleyrom meybörnom undir Skíi n halda.* ɔ: *reſpondit Steinus, non futurum, ut pluribus infantibus foeminis ſuſceptoris munus præſtaret.* Nempe ignobiles infantes ſua ſuſceptione indignos juvenis jactantior credidit. Sic Haraldi Pulchric. filium Sigurdus Comes, Sigurdi viciſſim filium idem Hakonus, jam Norvegiæ rex, ſuſceperunt; de qvibus infra pluribus. In ſuſceptione infantum vicaria, prouti qvis *filium luſtricum*, non modo baptizandum ſuſciperet, ſed, ſive ipſius miniſterio, ſive juſſu ſolum & auctoritate luſtratio peragеretur, ſuum alumnum, pupillum, aut hæredem ſimul agnoſceret diceretqve, *ſuſceptio infantis* vel *nutritia* fuit aut tutelaris, vel etiam *adoptiva*. Sic *Gormus* Daniæ Rex, ideo qvod liberis careret, *Improlis* (*binn barnlauſi*) cognominatus, Arnfinni Comitis filium expoſitum & a ſuis inventum ſibi ferri

ferri jussit, inspectumqve lavacro lustrico tingendum curavit, Knuti nomine donavit, suum filium dixit, enutrivit porro & modis omnibus ornavit, mortiqve tandem vicinus suum in regno danico successorem adoptavit. Vid. *Hist. Ol. Trygv. ed. Scalb. P. I. Cap. LXX. p.* 70 *&* 71. Plerumqve tamen in susceptione lustrica, sive honoraria hæc esset, sive nutritia vel etiam adoptiva, suscepto pater lustricus suum ipsius nomen indere consvevit; qvæ *donatio nominis proprii*, *at gefa nafn sitt*, vocabatur. Hoc Haraldus Auriberbis (Gullskeggr), Sogniæ Norvegicæ Rex, infanti, suo ex filia nepoti, præstitit; de qvo *Landn. P. V. Cap. IX. Haunum gaf Haraldr Gullskeggr nafn sitt oc ríki.* ɔ: *Huic Haraldus Auriberbis nomen suum & regnum dedit.* Idem Haraldo Grafeldo recens nato avus paternus fecit Pulchricomus; teste *Heimskr. T. I. Hist. Har. Pulchric. Cap. XLV. ed. Hafn. p.* 122. *Eirikr oc Gunnhilldr átto son, er Haralldr Konungr iós vatni, oc gaf nafn sitt; segir sva, at sá skyldi konungr vera eptir Eirik faudr sinn.* ɔ: *Filium genuere Ericus & Gunhilda, qvem Haraldus Rex aqva lustravit, suoqve impertivit nomine, & post Ericum patrem regem futurum edixit.* Nempe inter coeteros filios Erico Blodöxio summum Norvegiæ imperium pater Pulchricomus ante dederat; vid. *l. cit. Cap. XLIV. p.* 121. Huic autem Erici filium Haraldum, deinceps Grafeldum cognominatum, etsi duos fratres germanos natu majores haberet; vid. *Cap. XLVI. p.* 124. Patri tamen Blodöxio & sibi in monarchia Norvegica, qvam armis ipse paraverat, jure susceptionis adoptivæ eum succedere jussit. Infantum porro susceptionis nutritiæ exemplum in Haraldi Pulchricomi filio natu

maximo



maximo Guttormus Dux, ipſius Pulchricomi avunculus maternus edidit; vid. *Libr. Tom. & Hiſt. cit. Cap. XIX. p. 79. Guttormr hertogi hafdi vatni auſit hinn ellzta ſon Harallds konungs, oc gaf nafn ſitt, oc fóſtradi.* ɔ: *Regis Haraldi filium natu maximum aqva luſtrica ſparſit & proprio nomine donavit Dux Guttormus, illumqve porro educavit.* Hæc Guttormi ſuſceptio nutritia qvidem fuit, nevtiqvam tamen adoptiva; etſi enim ſuſceptus nutricio mortuo in Vikiæ & Uplandiæ præfectura ſucceſſerit, juſſu patris Pulchricomi, non jure ſuſceptionis factum id perhibetur, v. *l. cit. Cap. XXIX. p.* 106. Ejusmodi enim præfecturæ provinciales regni Norvegici fevda fuerunt, qvorum poteſtas nevtiqvam hæreditaria fuit, ſed ab imperantis arbitrio dépendebat. Et, ſi vel conſenſu imperantis impetrato iſta ſucceſſio provinciarum hæreditaria reddi potuiſſet, non tamen credibile eſt Ducem, qvi prolem ipſe maſculam reliqvit, (conf. *Eigla, Cap. XX.*), proprios filios alienorum ſuſceptione adoptiva exhæredes fuiſſe facturum. Simile ſuſceptionis vicariæ miniſterium alii Pulchricomi filio præſtitit Sigurdus Comes Hladenſis, ipſiqve non proprium, qvod alias ſolenne, ſed patris ſui Hakoni nomen dedit; de qvo *Heimskr. Libr. & Hiſt. cit. Cap. XL. p.* 118. *Sigurdr iarl iós ſveininn vatni, oc kalladi Hakon eptir faudr ſinom Hakoni Hlada-jarli.* ɔ: *Infantem aqva luſtravit Sigurdus Comes, nomenqve ei dedit Hakoni patris ſui, Comitis Hladenſis.* Hæc ſuſceptio non adoptiva, & ne nutritia qvidem effectu fuit; Hakonus enim ille juſſu patris primum apud matrem, moxqve apud Adalſteinum Angliæ Regem educatus fuit, (vid. *Libr. cit. Cap. XL. & XLIII.*).

In

In patriam tamen redux Hákonus, patrem ſuum luſtricum Sigurdum in adeundo retinendoqve Norvegiæ regno adjutorem & amicum conſtantiſſimum expertus eſt. Vid. *Heimskr. T. I. Hiſt. Hak. Boni, Cap. I. p.* 125. & *Cap. VI. p.* 131. Coeterum luſtricæ hujus ſuſceptionis honorariæ officium Comiti Sigurdo repoſuit Hakonus Rex. Vid. *Libr. & Hiſt. cit. Cap. XII. p.* 135. & 136. *Hina fyrſto ióla nott ól Bergliót kona ıarls. ſvein-barn; eptir um daginn iós Hakon kongr ſvein þann vatni, oc gaf nafn ſitt.* ɔ: *prima nocte jolenſi partum marem enixa eſt Comitis Sigurdi conjux Bergliota. Seqventi d e infantem aqva luſtravit, ſuoqve nomine impertivit Rex Hakonus.* Hæc *de ſuſceptione infantum* ſ. *luſtrica*, tam *paterna* qvam *vicaria* hactenus dicta. Verum fuit & alia ſuſceptionis vicariæ ſpecies, qva qvis alienum puerum, ſive in gratiam patris vivi nobilioris, ſive patre pueri abſente vel mortuo, educandum, tutandum & ornandum recipiebat. Qvemadmodum autem in ſuſceptione luſtrica infantes patris aut ejus vicarii brachiis ſ. ulnis excipi ſolebant, ita in ſuſceptione puerorum ſolennis fuit ritus, ut *ſuſceptus ſuſceptoris genibus imponeretur;* unde hic ſuſcipiendi actus, *at kneſetia barn*, ɔ: *genuponere puerum*, & hoc modo ſuſceptus, *kneſetningr*, *genupoſitus* dici conſvevit. Erat autem *genupoſitio* a vicaria ſuſceptione infantum diverſiſſima; hujus enim proximus ſemper finis fuit luſtratio & impoſiti nominis baptiſmalis, qvorum neutri in genupoſitione puerorum, utpote jam ante baptizatorum, locus fuit. Ille pueros genuponendi ritus antiqviſſimus qvod fuerit, vel ex *Geneſ. Cap. L. v.* 23. colligi poteſt; ubi *Machiri filii ſupra genua Joſephi nati*

tra-



traduntur. Hoc tamen ad fufceptionem infantum luftricam, qvam avos nepotibus in feptentrione fæpius præftitiffe exemplis fupra adductis monftravimus, potius referendum exiftimo, qvam ad genupofitionem puerorum, qvem ritum prifcis Borealibus peculiarem tamdiu credimus, qvamdiu ejus veftigia apud exteros reperire non contigerit. Jam exempla qvædam genupofitionis dabimus. *In Heimskr. T. I. Hift. Har. Pulchric. Cap. XXI. p. 97. hæc habentur: Guttormr hertogi hafdi vatni aufit hinn ellzta fon Harallds konungs, oc gaf nafn fitt; hann knefetti þann fvein oc fóftradi, oc hafde med fer i Vik auftr.* ɔ: *Maximum natu Regis Haraldi filium Dux Guttormus aqva luftraverat, fuo ipfius nomine illi indito; hunc porro puerum genupofuit, & educandum fecum in Vikiam abduxit.* Aliud porro exemplum eadem Haraldi Pulchricomi Hiftoria fuppeditat. Nimirum legatione miffa Haraldum Pulchricomum cavillatus fuerat Adalfteinus Angliæ rex. Illi igitur vicem redditurus Pulchricomus Haukum Habrokum in Angliam ablegavit, qvi regem Londini forte convivantem offendit adiitqve. Itaqve aulam cum XXX comitibus ingreffus Haukus Regem confalutat; viciffimqve a Rege falvere juffus & propius accedens, puerum Hakonum derepente genibus Regis imponit. Puerum intuitus Rex Haukum, qvi fic ageret, interrogat. Refpondet Haukus: *Haraldus Rex jubet te hunc fibi ex ancilla pellice natum educare.* Excandefcens ad hæc Rex gladium juxta pofitum arripit ftringitqve, qvafi puerum occifurus. Tum Haukus: *knefett hefir þú fveininn nú, oc mattú myrda hann ef þú vill; enn eigi munto med þvi eyda öllom fonom Haralds konungs.* ɔ: *puerum, inqvit, hunc genupofuifti; eum igitur*

igitur nefarie, si placuerit, occidere poteris: eo autem facto omnes Haraldi Regis filios, (nempe cædis futuros ultores), *non interimes*. Hoc dicto aula egressus navem repetiit, illicoqve solvens in Norvegiam vela fecit. Vid. *Hist. cit. Cap. XLII. p.* 120. Puerum autem Rex Anglus educavit; non qvod se Rege Norvegico hoc facto inferiorem aut ei subjectum fateretur, sed qvod puerum a suis relictum sibiqve traditum deserere aut violare suo fastigio indignum censeret. Hinc factum, ut Hakonus adultior *Adalsteini-Alumnus* sit cognominatus. Tertium genupositionis exemplum Historia Hakoni Boni exhibet. Hic enim ubi regno Norvegiæ potitus esset, Ericus Blodöxius, legitimus Pulchricomi filius & successor, in Angliam profugit; ubi Northumbriæ præfectura fevdali ab Adalsteino Rege donatus est. Mortuo autem Adalsteino, ejusqve fratre Jatmundo (Edmundo) in Angliæ solium evecto, expulsus Northumbria Ericus in Anglia prælio cecidit; qvo facto ejus vidua Gunhilda cum liberis in Orcades primum, deinde in Daniam se recepit, ubi a Rege Haraldo Gormi filio cum suis benigne fuit excepta. Hic de Rege Dano Snorrius: *Haralldr konungr Gormsson tók til fóstrs Harlld Eiriksson, oc knesetti hann; fœddiz hann þar upp i hyrd Dana konungs.* ɔ: *Rex Haraldus Gormi filius Haraldum Erici filium nutriendum suscepit & genuposuit: ille igitur in Danorum Regis aula educatus est.* Vid. *Heimskr. T. I. Hist. Hak. Boni, Cap.* X. *p.* 134. *Triplex* igitur *genupositio* fuit: nempe, si puer a subdito patris honoris ergo susciperetur, *genupositio humilis*, qvalis Guttormi Ducis; si ab eo, qvi patri pueri non subjectus sed æqvalis esset, *genupositio officiosa*, qvalis

 Adal-



Adalſteini Regis; ſi deniqve patre orbatus puer ſuſciperetur, *genupoſitio pupillaris* erat, qvalis Haraldi Gormi filii. Allata porro exempla docent, pueros vel a patre luſtrico, vel ab aliis genuponi ſveviſſe. Pulchricomi filium idem Guttormus Dux, & indito nomine luſtravit, & genupoſuit. Hakonum Bonum Comes Sigurdus luſtravit, genupoſuit Rex Adalſteinus. Haraldum Grafeldum avus paternus Pulchricomus luſtravit, Haraldus autem Gormi f. Rex Daniæ genupoſuit. Qværi ultra poteſt, utrum genupoſitio Borealium adoptionis qvædam ſit ſpecies, & qvænam porro *genuponentis officia* fuerint. Si adoptionem hæreditas nominis ſacrorum & pecuniæ ſeqvi debet, ſi is ſolus adoptare qveat, qvi neqve jam procreare liberos poſſit, & cum potuerit, ſit expertus, ut vult *Cicero, in Orat. pro Domo, Cap. XIII.* ab iſta Romanorum adoptione toto coelo differre genupoſitionem Borealium cuivis facile liqvebit, utpote cui nihil horum adfuiſſe exempla adducta condoceant. Certe in *hæreditatem bonorum* adeundam, qvæ *adoptionum* & *arrogationum* omnium princeps erat *finis*, genupoſitis nihil juris fuit, niſi aut per teſtamentum ſubſeqvens, aut conditionis inſtar acceſſoriæ genupoſitioni interdum forte adjectum illud fuerit, cujus tamen exemplum mihi non ſuccurrit. Sin vero adoptionem vocare placuerit *actum, qvo qvis filii loco habendum recipit, qvi filius natura non eſt;* ſive, *qvo qvis ſe ad officia, qvæ niſi propriis liberis præſtare nemo tenetur, alieno puero præſtanda obligat, genupoſitionem* Borealium *adoptionem* qvandam *reſtrictam* ſ. limitatam dici poſſe non negamus. *Genuponentis* autem *officia tria* præcipue fuerunt; nempe, ut 1) ſuſceptum *enutriret*, qvorſum educa-

educatio & tutela referenda ſunt; II) ut *illi* ad ætatem virilem provecto de munere vel conditione vitæ, qva ſe pro naſcendi ſorte condigne ſuſtentare poſſit, *proſpiceret*, qvod, *at koma einom til þroſka*, (vid. *Heimskr. T. II. Hiſt. VII. Cap. XXII. p.* 22. conf. *Reikdæla, Mſt.* de Thorſteino, qvi apud Gudmundum Potentem adolevit), dici ſolebat; & III) ut morte violenta peremti *necem ulciſceretur*. De *primo* nullum omnino dubium eſſe poteſt, cum genupoſitio ſemper nutritia fuerit. *Secundum* autem officium & Hakono Adalſteinus, & Haraldo Grafeldo Haraldus Gormi filius præſtitere, dum regnum patrium occupaturos alumnos uterqve nutricius omni ope juverit. Inter privatæ ſortis homines nutricius alumno *honeſtum conjugium* procurare, illumqve *pecunia maritali (ſ. antipherna) inſtruere* debebat. Conf. *Niala, Cap. XCIV. & XCIIX.* Inter officia porro paterna olim pertinuit *vindicta ſangvinis*. Filiorum enim cædem ulciſci patris fuiſſe, plurima docent exempla patrum; nimirum Haraldi Pulchricomi, vid. *Heimskr. T. I. Hiſt. III. Cap. XXXI. & XXXII.* Qveldulfi, vid. *Eigla, Cap. XX.* nec non Niali, qvi filiis ſupereſſe, & eorum necem non vindicare, vel ſeni turpe putabat. Vid. *Niala, Cap. CXXX.* & aliorum. Qvo minus autem, cum alumni tutela, & reliqvis officiis patris, ſi ſucceſſionem ab inteſtato exceperis, fere omnibus, *vindicta ſangvinis in nutricium translata* fuerit, nec natura rei nec locus Nialæ dubitare permittit, qvi ſimul coetera nutricatus officia percenſet. Ibi autem ad Ketillum Höſkuldo nutricatum offerentem ſic mater: *Þú ſkallt veita þeſſom ſveini allt þat er þú mátt, þá hann er roſkinn, oc hefna hanns, ef hann er med vap-*



nom veginn, oc leggia fe til kvanar-mundar hanom; oc fkallt Þu Þo fveria Þefs. Hann játtade Þeffo öllo. ɔ: *In hunc tu puerum, ubi adoleverit, qvæcunqve potueris, beneficia conferto; ejus armis peremti necem ulcifcitor; uxorem ducturo pecuniam maritalem fufficito; & hæc quidem juratus promittito. Facturum vero fe pollicitus eft Ketillus.* Qvamvis autem nulla hic genupofitionis fiat mentio, de nutricatu tamen pueri, cujus genupofitio ritus & cærimonia externa fuit, hic agitur. Nec mirum porro eft, fi, qva infantes a patre fufcepti & luftrati, eadem qvoqve *genupofiti fanctitate* gavifi fuerint, &, prouti illos exponere aut perimere nefas erat, hos etiam occidere aut infidiis fallere flagitiofum fuerit. Hinc Haukus, loco fupra allato, *occifionem genupofiti, mord,* ɔ: *cædem nefariam* appellat. Hinc ab infidiis genupofito ftruendis abhorruit Daniæ Rex Haraldus Gormi filius, & Hakono Hladarum Comiti ad hoc facinus fe inducere volenti refpondit: *Haralldr Eiriksfon er fóftrurfon minn oc knefetningur.* ɔ: *Haraldus Erici filius eft alumnus meus genupofitus.* Et paulo infra: *Þetta mun callat illt verk at fvíkia fóftrurfon finn.* ɔ: *Alumnum fuum dolis circumvenire fceleftum facinus habebitur.* Vid. *Heimskr. T. I. Hift. V. Cap. X. p.* 198. Conf. *Hift. Ol. Trygv. ed. Scalh. P. I. Cap. LVII. p.* 53. 54. Verum enimvero, qvod genupofitio nullum alumno in hæreditatem nutricii jus dederit, tam allata fuperius de genupofitione auctorum teftimonia paulo penfius infpecta, qvam alia alumnorum exempla oftendunt. Sic Olafus Pavo fuum ex fratre nepotem Bollium, vid. *Laxdæla, Cap. XXVII.* Ketillus Höfkuldum, eundemqve deinceps Nialus, nec non Thorhallum Afgrimi

Asgrimi filium, vid. *Niala*, *Cap. XXVII. XCIV. XCV.* & alii alios nutriendos & educandos, non item adoptandos suscepere. Unde patet Borealium *nutricatum (barnfóstr) duplicis* fuisse *generis;* nempe, vel *genupostitium* absqve spe hæreditatis, vel *adoptivum.* Nutricatus adoptivi exempla qvædam supra, §. XIX. *Not.* 6. attulimus. Hæc de *susceptione* liberorum, tam *infantum lustrica*, vel *paterna* vel *vicaria*, & hac *unde baptismali*, *honoraria*, *nutritia*, *adoptiva*, qvam *puerorum genupositione humili*, *officiosa & pupillari*, hactenus aliqvanto forte fusius differuisse non poenitet, cum haud sciam, utrum hoc argumentum apud alios explicate satis traditum & excussum reperiatur. Accedit, qvod susceptio paterna, cujus alia qvælibet liberorum susceptio vicaria erat & imitatrix, hic, ubi de matrimonii effectibus agitur, loco haudqvaqvam alieno pertractata censeri debeat. Ethnicam enim illam prolem exponendi vel tollendi s. suscipiendi potestatem, inter præcipua patrisfamilias, & speciatim mariti patris jura numerandam nemo facile negaverit.

2) De Romanorum in uxores potestate diserta sunt auctorum loca. Uxores in mariti *manu mancipioqve esse* dicit Gellius; vid. *Noct. Att. XIIX. 6.* Mulieres porro, qvæ ob sexus imbecillitatem antiqvitus in perpetua fuerunt tutela, per coëmtionem nuptialem e patris, aut qvi patris loco eis fuerat, tutela in viri potestatem ita recidebant, ut maritis essent loco filiarum, auctore Boëthio, qvi ideo asserit *eas*, statu priore per nuptias mutato, *capite esse deminutas.* Conf. *S. Pitisci Lexic. Antiqvit. Rom. ad voc. Uxor.* Unde *in manum conventionem minimam esse capitis deminutionem* asserit *Ulpianus, Tit. X.* 13. Conf. *Heinecc. Antiqv. Rom. I.*



10. 6. Horſum ſpectant verba Ambroſii, *Exhort. ad Virgin. Qvoniam, qvæ nupſerit, ad ſervitutem pecunia ſua venditur, meliore conditione mancipia qvam conjugia comparantur: in illis meritum ſervitutis emitur, in iſtis pretium ad ſervitutem additur.* Hinc illa Medeæ, apud *Evripidem, II.* 230.

Omnium, qvæ vivunt & ſentiunt,
Nos mulieres miſerrimæ ſumus,
Qvas primum oportet magna pecunia
Maritum emere, & dominum corporis
Accipere.

Cum his contendi poſſunt illa Virgilii, *Æneid. Libr. IV. Liceat phrygio ſervire marito.* Nec non hæc: *Connubia noſtra Reppulit & dominum Æneam in regna recepit.* Ubi maritum uxoris dominum poëta vocat.

3) Ritus ille Romanorum nuptialis, qvo novæ *nuptæ claves tradi* ſolebant, non tam partus facilitatem ſignabat, ut vult Feſtus, conf. *Alex. ab Alex. Genial. Dier. Libr. II. Cap. V.* ſed innuebat potius, uxoribus ſimul rerum omnium domeſticarum, qvæ clavibus concludi ſolent, curam ac cuſtodiam, totam deniqve domus ac rei familiaris adminiſtrationem diſpenſationemqve permitti; interpretante *S. Pitiſco, Lex. Antiqv. Rom. ad vocem, Clavis.* Qvemadmodum autem inter contrahendi matrimonii initia *claves tradi*, ita, facto divortio, *eas* uxori *adimi* ſolitas docet Cicero, *Philipp. II.* 28. *Mimam ſuas res ſibi habere juſſit ex XII tabulis; claves ademit, exegit.* Hinc Ambroſius, *Epiſt.* 65. *Mulier offenſa claves remiſit, domum revertit.*

4)

4) Inter ornatum ſponſæ, die nuptiali geſtandum, *claves* qvoqve fuiſſe, qvaſi poteſtatis oeconomicæ a nova nupta intra limen mariti capeſſendæ ſymbolum, docet *Edda Sæmundi, de nuptiis ſimulatis Thori:*

Bundo þeir þór þá i.e.	*Thorum igitur redimiebant*
brúþar líni	*Byſſo nuptiali,*
oc eno micla	*Atqve magno illo*
meni brísinga.	*Monili flammeo;*
Leto und hanom	*Succingebant illum*
hrynia lucla	*Clavibus tinnulis,*
oc kvenvaþir	*Veſteqve muliebri*
um kne falla.	*Genibus circumflua.*
Enn á brióſti	*Pectori autem præponebant*
breida ſteina	*Planas gemmas,*
og hagliga	*Et apice concinno*
um hauſód typto.	*Caput amiciebant.*

Vid. *Od. Þryms-Qvida, Str. XIX. ed. Hafn. p.* 190. Unde nullo negotio colligitur, ritum hunc nuptialem priſcis etiam Borealibus in uſu fuiſſe. Nec ſecus in divortiis claves reddi ſolitas, qvi monſtret, locum ex Sturlunga dabo; ubi Halfdano marito Steinvara, ni fratri ſuo Thordo opem ferat, divortium minari videtur. *Lítidt man verda ockart ſamþicki, ef þu veítir ei þordi brodur minom; mun þá ſva fara, er midr er ſköpudo, at ec man taka vapnin, oc vita ef nockrir menn vilia mer fylgia; enn ec man ſá þer af hendi búr-lyklana.* ɔ: *Parum utiqve,* (ait Steinvara), *concordes erimus, ſi fratri meo Thordo auxilio non fueris. Illudqve contra naturæ & decoris ordinem accidet, ut ſumtis ipſa armis, ecqvos ad incrementa partium pertrahere qveam, experiar; claves autem penuarias tibi traditas reſignem.* Vid. *Sturl. P. VII. Cap. II.*

G 4 Iſtam




Iſtam oeconomiæ diſpenſationem, qvæ uxoribus ſvevit committi, veteres *rád innan-ſtocks*, ɔ: *poteſtatem intra limen*, (vid. *Niála*, *Cap. VI.* & *Fliótsdæla*, *Cap. VII.*), nec non *bú-rád*, (vid. *Niála*, *Cap. XXXIV.*), & *bús-umſyslan*, (vid. *Laxdæla*, *Cap. X*), dixere. Idem de Germanorum veterum uxoribus Tacitus perhibet; nempe, *domus & penatium curam foeminis delegatam;* item, *domus officia uxores & liberos exſeqvi.* Vid. *Libr. de Mor. Germ.* In qvæ Taciti verba non male commentatur Cleffelius: *Conſiſtebant hæc domus officia potiſſimum in eo, ut agros colerent, pecuariam exercerent, texturæ operam darent, atqve familiæ ſuæ proſpicerent, in conficiendis ſartorum loco veſtibus; præterea autem, ut medicinam tractarent, vulneraqve & morbos tum maritorum ſuorum, tum univerſæ familiæ curarent.* Vid. *Cleff. Antiqvit. Germ. Sept Cap. I.* §. *XX.* Qvæ qvidem pleraqve omnia de veterum Borealium uxoribus vere poſſunt dici.

5) Maritorum dominio adeo obnoxiæ fuerunt Borealium uxores, ut vel proprios infantes injuſſu patris nutrire ipſis minime licuerit. Cum enim liberos exponendi conſvetudo ante ſacra chriſtiana, qvæ iſtam tandem inhumanitatem edomuere, ſatis crebra fuerit, invitis tamen matribus illud plerumqve factum fuiſſe credibile eſt, cum amore naturali in id, qvod ipſa pepererit, nulla non animans propendeat. Verum prævaluit imperium mariti, penes qvem ſolum & tollendæ & exponendæ ſobolis arbitrium erat. Unde fruſtra deprecantes matres, ad infantes, ſi, cum naſcerentur, domo forte abfuerint, exponendos, ſeveritate & minis adegiſſe mariti leguntur. Ad comitia patriæ profecturus Thorſteinus Egilli filius, uxori Jofridæ, qvæ, dum

dum abforet, paritura videbatur, præcepit, ut, fi prolem foemellam eniteretur, exponendam curaret. Factum autem illiberale, & viro lautitia rerum & amicitiis circumfluente indignum, diffvadenti uxori refpondit Thorfteinus: *Veiztu fkaplyndi mitt, at eigi man blydifamt verda, ef af er brugdit.* ɔ: *Nota tibi indoles mea; cujus fi mandata migrentur, haud bene aut impune ceffurum.* Nec imperium mariti negligere palam fuftinuit Jofrida, etfi vitæ infantis clam confuleret. Vid. *Vit. Gunl. Vermil. Cap. III. ed. Hafn. p.* 36. 39. Thorgerdam qvoqve uxorem jamjam parituram domo profecturus Afbiörnus, qvicqvid enixa fuerit, exponere juffit; adjectisqve minis adeo terruit, ut mariti mandato morem invita gefferit. Vid. *Vit. Fimbog. Rob. Cap. II. Mft.* Cumqve deinceps illa, qvî infantem mater expofuiffet, a fratre Thorgeiro Liofavatnenfi indignante rogaretur, trux mariti imperium caufabatur: *Hon fegir, at hon þyrdi eigi annat fyri reidi oc grimleic bónda fins, oc var þetta hanns rád; enn ec unna fva mikit fveininom, at ec vilda giarna hafa uppfædt.* ɔ: *Refpondit illa fe, iræ mariti fæviture præmetuentem, fecus facere non aufam, remqve ejus imperio geftam; fibi vero infantem & tum qvidem adeo dilectum, ut libenter nutritura fuiffet.* Vid. *Libr. cit, Cap. VI.*

6) Filias elocandi arbitrium penes folum patrem, vel qvi nupturæ pro patre effet, ejusqve confenfum in nuptiis filiæ unice neceffarium fuiffe, fupra §. *VIII. not.* 1. &c. docuimus. Hinc virginem fibi in matrimonium pactam pofcenti Alvifo, *fidemqve ratam nemini irritam faciendam* urgenti, regeffit Vingthorus, vid. *Edd. Sæm. Od. Alvis-mál, Str. IV.*




Ec man bregda	i. e. *Ego vero faciam irritum,*
þvíat ec brúdar áak	*Cum mihi virginis sit*
fleſt um rád ſem fadir.	*Plurima poteſtas, ut patri.*
Varat ec heima	*Domi non eram,*
þá er þer heitit var.	*Cum tibi pacta eſſet.*
At ſá einn er giaufir med Godum.	*Qvi ſolus deorum ſum locandi arbiter.*

Generos eligere, patris ſolius fuiſſe, docent verba Ketilli; *Vit. Viglundi Pulchri, Cap. V. Ec ætladi at þórir jarl mundi ſiálfur eiga at ráda dóttur ſinni, oc mundi þat kaup lögfullt er hann giördi.* ɔ: *Credidi vero Thorerum Comitem filiam elocandi jure ſolum gaudere, eumqve, qvem ille feciſſet, coëmtionis contractum lege valiturum.* Idem innuunt Oſvifi ad filiam Gudrunam, oblatam nubendi occaſionem recuſantem, verba. Vid. *Laxdæla, Cap. XLVI. Medan ec er uppi, ſkal ec hafa forſiá fyrir ydr börnom minom, um þá luti, er ec kann betr at ſiá enn þer.* ɔ: *Qvamdiu ſuperſtes ero, veſtras liberorum res moderari meum eſt; eas ſaltem, qvarum major mihi qvam vobis eſt prudentia.* Qvemadmodum igitur nulla filiabus maritorum, ita nec ulla generorum uxoribus, optio jure competebat. Unde factum, ut patres, abſentibus & inconſultis uxoribus, filias perſæpe deſponderint; qvemadmodum Biörnus Jorunam, vid. *Laxdæla, Cap. X.* Egillus Thorgerdam, vid. *l. c. Cap, XXIII.* Oſvifus Gudrunam, vid. *l. c. Cap. XXXIV.* Höſkuldus Halgerdam, vid. *Niala, Cap. IX.* & alii alias. Haud tamen defuerunt mariti, patres & tutores minus auſteri, qvi in eligendis generis & uxores conſuluerunt, & filiabus, neptibus aut ſororibus nubendi arbitrium permiſerunt. Horum ſupra, §. *VIII, not. 9*, aliqvot exem-

exempla attulimus, qvibus plura ſubjungere non difficile. Thuridam Olafi Pavonis filiam cum nuptiis ambiret Geirmundus, abnuit primum pater; intercedente autem deinceps matre virginis Thorgerda, conſenſit Olafus, his ad uxorem verbis: *ei ſkal þetta göra i móti þer beldr en aunat, þó ec vari fúſari at gipta haua ódrum manne.* ɔ: *In hoc qvidem, ut in aliis, tuæ voluntati mos geretur, utut alium filiæ maritum dare voluiſſem.* Vid. *Laxdæla*, *Cap XXIX.* De ſecundo Thraini matrimonio habet *Niala*, *Cap. XXXIV.* *Gunnar ſpurde þær mædgr hvert þær vildo játa þeſſom kaupom. þær kváduz eigi bregda mundo.* ɔ: *Gunnarus matrem & filiam*, (ſuam nempe uxorem & privignam), *rogavit, utrum nuptialem coëmtionem ratam eſſe vellent. Illæ ſe non facturas irritam reſponderunt.* De matrimonio filiæ Thuridæ non modo uxorem & filiam, ſed ſocerum qvoqve, utpote virginis avum maternum & nutricium, conſuluit Gunnarus Hliſæ filius; vid. *Vit. Hænſna-Thoreri, Cap. X. Mſt.* Nubendi arbitrium filiæ Jorunæ permiſit pater Biörnus; vid. *Laxd. Cap. X.* Item filiæ Thordiſæ Snorrius Pontifex, *libr. cit. Cap. LXXIIX.* Sorori Sigridæ Thordus Hræda, vid. *Vit. Thordi Hrædæ, Cap. VI.* Nepti Hildigunnæ patruus Floſius, vid. *Niála*, *Cap. XCIIX.*

7) Oeconomica & penuaria diſpenſatio, nec non familiæ moderamen domeſticum uxoris erant; res autem extraneæ & ab his diverſæ mariti. Hinc ad uxorem Halgerdam, in convivio apud amicum Nialum inſolentius agentem, maritus Gunnarus: *þat er makligaſt at þú ſennir vid heimamenn þína, en eigi i annara manna hybilom.* ɔ: *Te domi cum familia altercari par eſt, non autem in alienis ædibus.* Vid. *Cap. XXXV.* Horſum



fum etiam fpectant Niali ad Gunnarum de ejus uxore verba: *Þurfa muntu at láta hana eigi öllo fram koma.* ɔ: *Ejus lubidini non omnia permittere tua utiqve referet.* Vid *Niála, Cap. XXXVI.* nec non Gunnari ad uxorem: *ráda muntu tiltekium Þinom, en ec fkal ráda hverfu málin-lúkaz.* ɔ: *Tu, qvid inceptes, videris, coeptorum exitum ipfe moderabor.*

8) Patrem invifura Unna Rutum maritum, priusqvam abiret, propofiti fecit certiorem, vid. *Niála, Cap. VI.* De Signya habet *Hiftoria Hördi & Holmenfium, Cap. VII. Eptir Þing um fumarid bad Signy Grimkel, ad hann leifdi henni nordur til frænda finna; hann qvadft mundu Þat leifa henni, enn Þó fkyldi hun ei lengur burt vera enn hal ann mánud.* ɔ: *Poft comitia æftiva boream verfus ad cognatos eundi Grimkelum veniam precata eft Signya. Ille fe permiffurum dixit, ita tamen ut ultra dimidium menfem domo non abeffet.* Idem qvoqve de Thorlöga Helgii uxore memorat *Fliótsdæla, Cap. X. Hun beiddiz at fara á kynnis-leit upp ad Beffaftödum at finna födur finn. Hun var Þar uppi viku, oc Þá Þótti Helga mál hun færi heim aptur, oc fendir eptir henni Þræla tvo oc uxa.* ɔ: *Illa veniam Beffaftadum eundi patremqve vifendi maritum precata eft. Hic cum feptiduum effet commorata, Helgius, cui diu fatis domo abfuiffe jam videbatur, duos ad eam arceffendam fervos cum bove rhedario ablegavit.* De Ingvelda narrat *Svarfdæla Mft. Þat var eitt finn at Ingvelldr fettift i kne Klaufa, oc bad hann at lofa fer at fara ofann at Brecko, oc qvadft ecke fcyldi lengi í burto vera, oc er nú allblíd.* ɔ: *Aliqvando genibus Klaufii mariti infidens, ad prædium Breccam eundi veniam inter blanditias Ingvelda precabatur, haud diu fe abfuturam pollicita.*

9)

9) Uxorum in maritos imperiofarum exemp'a in hiftoriis paffim intercurrunt. Bergliota in conventum populi viros cum marito fuo Einaro Thambafkelfero, fiqvid, fecus ac ipfa vellet, decerneret, conflicturos adduxit. Vid. *Hift. Ol. Trygv. ed. Scalb. P. II. Cap. CV. p.* 321. Impotens qvoqve uxoris dominium Gudrunæ Ofvifi filiæ omnes mariti experti funt. Vid. *Laxdæla, Cap. XXXIV. LV. & LXXVI.* De fe fuaqve conjuge faffus eft Thorhallius qvidam: *Sva man þat fara fem vant er, at hon man verda ein at ráda.* ɔ: *Eveniet autem, qvod folenne, ut illa fola dominetur. Vit. Thordi Hrædæ, Cap. V.*

10) Voces *kvan-ríki (imperium uxorium), & ofqvæni (nimietas uxoria)*, hoc fenfu occurrunt in *Niála, Cap. CXXXV. & Heimskr. ed. Hafn. P. II. Hift. Ol. Sancti, Cap. CXLII. p.* 237.

§. XXIV.

Quin *jus vitæ & necis in uxores flagitiofas*, veluti mariti aut liberorum vitæ infidiantes & adulteras habuerint Boreales, dubitari non poteft (1). Adulteria qvidem apud plerasqve olim gentes morte plectebantur, & in Septentrione olim, ut apud Romanos *vir uxoris erat judex domefticus*(2). Rara tamen uxoris a marito occifæ exempla inveniri credo, tum qvod cæde mulierum vel infantum, ut imbel-



bellium, manus polluere viro forti indignum existimaretur (3), tum qvod isthoc supplicio opus marito non esset, utpote qvi uxorem pro lubitu non modo repudiare, & alii vel vilissimo supponere (4), sed & aliis modis decentioribus punire poterat. Qværi ulterius potest, *utrum polyandria successiva uxoribus unqvam apud Boreales fuerit prohibita*, ita ut primo marito mortuo non supervivere, nedum alteri denuo nubere ipsis licuerit. Pro affirmante sententia adstruenda afferri solet Taciti de Germanis testimonium, ex qvo *matrimonium secundum foeminis illicitum fuisse* colligitur (5). Citantur porro heroinarum qvædam exempla, qvæ maritis vel amasiis ne essent superstites, morte voluntaria sese peremerunt (6). Urgetur porro tam Olafi Trygvini Historia, cujus auctor caussam, cur ab Erico Victorioso Veciæ Rege uxor Sigrida Imperiosa diverterit, fuisse *legem* perhibet, *qvæ uxores cum maritis defunctis simul sepeliri jubebat* (7), qvam Eddæ deniqve auctoritas, qvæ docere videtur, credidisse Borea-

Boreales, foeminas, qvæ morte violenta ſibi allata maritos defunctos comitarentur, ſedes honoratas apud Frejam poſt fata paratas manere, reliqvis cum promiſcua obſcure morientium plebe ad Helam abeundum (8). Verum ex his omnibus plus exſculpi poſſe non opinor, qvam qvod foeminarum amor fidesqve conjugalis, cujus argumentum morte voluntaria fortius dari non potuit, nec non univiræ in præcipuo olim, ut apud alias gentes, ita apud Boreales, honore fuerint (9). Maritis ſponte commori uxoribus qvondam glorioſum (10), magis tamen ex decoro qvam debito id factum. Heroicis qvarundam exemplis innumera aliarum opponi poſſunt, qvæ mortuo marito non modo ſuperſtites, ſed ad ſecundas qvoqve nuptias citra opprobrium progreſſæ leguntur (11). Nec inter leges Borealium antiqviſſimas, vel Frothonianas apud Saxonem, qvæ tamen legitima matrimonia ſatis adſtabiliunt (12), nec Odinianas apud Snorrium (13), tale qvidpiam reperitur; qvod tamen hos duumviros, qvibus

tanta

tanta antiqvitatis patriæ notitia, si lex usu valuisset, tacituros fuisse mihi nevtiqvam persvadere possum. Accedit, qvod per divortia, non maritis modo sed & uxoribus ab omni ævo in Septentrione licita, ista lex, si unqvam exstiterit, facillime eludi, & parum vel effectus vel usus habere potuerit (14).

1) De Gallis veteribus, qvibus multa morum cum priscis Borealibus similitudo passim observatur, tradit Julius Cæsar, *de Bell. Gall. VI.* 19. *Viri in uxores, sicuti in liberos, vitæ necisqve habent potestatem: & qvum pater familias illustriore loco natus decessit, ejus propinqvi conveniunt; & de morte, si res in suspicionem venit, de uxoribus in servilem modum qvæstionem habent; &, si compertum est, igni atqve omnibus tormentis excruciatas interficiunt.* Asam uxorem, qvæ vitam suam hosti prodiderat, in conventu populi capitis damnatam, mitigata tamen poena, cum dote profectitia ad suos remisit Rex Hiörleifus Mulierosus. Vid. *Hist. Halfi Regis, ejusqve pugilum. Mst.* Uxori Gudrunæ Gaukii filiæ, cum filios communes a se jugulatos marito epulandos exhibuisset, qvin & virum suum se porro interfecturam dixisset, lapidationem & vivicomburium maritus Atlius comminatur; vid. *Edd. Sæm. Od. Atla-mál en. Grönlenzco:*

Brend mundo á báli	i. e. *Pyræ imposita combureris,*
oc barin grióti ádr.	*Lapidibus prius obruta:*
Þá hefr þú árnat	*Tunc assecuta eris,*
þazu æ beidiz.	*Qvod semper appetis.*

Poenam

Poenam nempe & mortem invenies, qvam continua flagitiorum temeritate mereri satagis. Svanhildam uxorem & proprium filium Randverum, adulterii insimulatos, crudeli mortis genere punivit Ermenrecus rex. Vid. *Edd. Sæm. Od. Gudrúnar-hvaut, Prolog.* Hanc narrationem a Jornande, Rerum Gothicarum (vid. *Cap. XXXV.*) scriptore mutuatum Eddæ Sæmundianæ auctorem innuere videtur Perillustr. Joh. Grammius, in *Notis ad Meursii Hist. Dan. Libr. II. Col.* 77 & 78. Rem eqvidem eandem utrobique narrari nemo inficiabitur, ita tamen, ut rei gestæ notitiam auctor Eddæ, qvam Jornandes, multo pleniorem habuerit. Hanc igitur non Jornandi, sed propriis peregrinationibus & militiæ tam russicæ, qvam constantinopolitanæ debere priscos Boreales verosimilius dixeris. Certe Asorum, Volsungorum & Giukungorum monumenta in hippodromo constantinopolitano repræsentata vidit Sigurdus Hierosolymipeta. Vid. *Heimskr. Tom. III. Hist. XII. Cap. XII. p.* 245. & 246. Fragmentum Historiæ Ragnari Lodbrokii, qvod circumfertur, non moror, cujus auctor Odam Edd. Sæm. qvæ *Gudrunar-grátur* dicitur, parum fidus interpres tantum non exscripsit; & ne Saxonem qvidem, qvi eo omnia contorqvet, ut Hermanrico (Jarmerico) inter Reges Daniæ locum faciat, eo forte argumento inductus, qvod potentissimum hunc regem in terras, imperio Danico olim subjectas dominatum alicubi legerit aut audiverit. Hermanricum enim hunc *Venetis*, *Sclavis* & *Haestis*, qvi populi Danis olim per intervalla paruere, imperitasse vel ipse Jornandes (*libr. cit. Cap. XXXIV.*), testatur. Si, cum Illustriss. Suhmio, duos Ermenrecos, alterum nempe potentissimum illum Gothorum

 regem,



regem, feculo IV celebrem, alterum famofum Hallandiæ, qvæ Daniæ olim pars, regem, in exitu feculi V occifum, (vid. *Hift. af Danm. T. I. p.* 183. & 316.), fuiffe dicas, omnia, qvæ Saxo & Edda de Jarmerico (Jörmunreco) tradunt, in pofteriorem erunt conjicienda. Verum qvid de Jornandis Hermanrico tum faciendum fit, nefcio, qvem mors mulieris *Sanielh*, juffu regis ab eqvis divulfæ, a fratribus *Saro* & *Ammio* vindicata, cum eddico Jormunreco, qvi *Svanhildam* eqvis proterendam objecit, a fratribus interfectæ *Saurlo* & *Hamde* punitus, eundem credere, ob factorum & nominum haud exiguam fimilitudinem, fere perfvaferit. Eddicum autem & Jornandis Hermanricum f. Jormunrecum Daniæ regem ftatuere non aufim. Verum ifta hiftoricis relinqvenda. Adulterium porro Conftantinopoli capitale fuiffe, docet *Vita Gretteri Robufti*, *Cap. XCVII.* *Þat var þá dauda-fök, ef kona yrdi opinber at flicom glæp, at hafa annan mann med bónda finom.* ɔ: *Crimen erat morte dignum, fi illius flagitii foemina convinceretur, qvod cum alio, præter maritum, viro confveverit.*

2) Adulteria apud Scythas, Borealium aborigines, olim capitalia fuiffe, docet laudatqve Horatius, *Carm. Libr. III. Od. XXIV.*

Conjux nec nitido fidit adultero.
Dos eft magna parentium
Virtus, & metuens alterius viri
Certo foedere caftitas:
Et peccare nefas, aut pretium eft mori.

Jus vitæ & necis in uxores adulteras, vinofas, aliisqve fe fceleribus polluentes, veteres Romanos habuiffe, & domi fuæ tanqvam judices de uxorum criminibus cogno-

cognoviſſe, ex Dionyſio Halic. Plinio. & aliis probat Heineccius, *Antiqvit. Rom. I.* 10. 6. Privatum hoc & domeſticum, qvo ex conſilio propinqvorum in uxores adulteras aut aliter flagitioſas viri ipſi animadvertebant, judicium vigebat ad Auguſti uſqve Imperatoris tempora, qvi adulterii crimen publicis judiciis vindicari præcepit, &, qvo infrenem & civitati perniciosam libidinum licentiam coërceret, lata *Lege Julia*, adulteria morte puniri, & vicinos hac de re atteſtari juſſit. Ad qvam legem reſpicit Horatius, *Carm. Libr. IV. Od. V.*

Nullis polluitur caſta domus ſtupris:
Mos & lex maculoſum edomuit nefas:
Laudantur ſimili prole puerperæ:
Culpam poena premit comes.

Iſta qvidem omnia fere veterum Borealium matrimoniis apprime conveniunt. Mariti enim, ſi ſuum jus exſeqvi poſſent vellentqve, uxores animo impotentes coërcuerunt, delinqventes pro re nata vel verbis vel verberibus caſtigarunt, & arbitrarium domeſticumqve dominium in eas exercuerunt. Sic uxorem Thorgerdam, genero Geirmundo infenſam, (vid. *Laxdæla, Cap. XXIX.*), nec non filii Kiartani vindictam ac Bollii cædem ſitientem, gravitate viro digna compeſcuit Olafus Pavo, vid. *Libr. cit. Cap. LVI. conf. Cap. LIX. & LXI.* Huc pertinent Niali ad Gunnarum verba, qvod omnia uxoris arbitrio committere caveret. Vid. *Niála, Cap. XXXVI.* Verbis qvidem uxores reprehenderunt mariti, Gunnarus Halgerdam, vid. *Libr. & Cap. cit.* Nialus Bergthoram, vid. *Libr. cit. Cap. XXXVII.* & alii alias. Colaphum uxoribus mariti inflixerunt, Hildæ levem ob cauſam rex

 Hiör-



Hiörleifus Mulierosus, vid. *Hist. Halfi ejusqve Pug.* Halgerdæ prodigæ & procaci Thorvaldus, vid. *Niála, Cap. XI.* in se aspere dicaci Glumus, vid. *Libr. cit. Cap. XIV.* furti reæ & verbis contumaci Gunnarus de Hlidarenda, vid. *l. c. Cap. XLVIII.* Thordisam etiam uxorem Börkus, vid. *Eirbyggia, Cap. XX.* & Gudrunam Osvifi filiam Thorvaldus, vid. *Laxdæla, Cap. XXXIV.* alapis percusserunt. Severius vero & plagosum imperium maritale refractariæ & fastidiosæ uxori Helgæ minatus est Thorgilsus Orrabeini-Alumnus, vid. *Hist. Floamannorum, Cap. XXXI. Frá því er sagt eitthvart sinn, at þau þorgils oc Helga sáto uti, oc hrein hænan vid hananum. Haninn leggr at henni oc her hana, þángat til hun mædiz. þorgils mælti: ser þú Helga sameign þeirra hæusnanna. Hvers er þat vert segir hun. So má vera segir þorgils annara vidureign.* ɔ: *Accidisse fertur, Thorgilso & Helga extra ædes forte sedentibus, ut gallina prementi gallo qviritans ogganniret: hanc adorsus gallus ocius insectatur, & verberibus, usqve dum illa defetisceret, profligat. Tum Thorgilsus: videsne, Helga, galli cum gallina conflictum? Rem vero parum notabilem, Helga regessit; at qvæ aliis, excipit Thorgilsus, agendi exemplo esse qveat.* Haud raro tamen asperior uxorum, præsertim animo & necessitudinum fiducia pollentium, tractatio divortiis & cædibus occasionem præbuit. Si qvid autem causæ gravioris inter conjuges incidisset, res in *propinqvorum concilio*, domesticis & vicinis testibus adhibitis, qvemadmodum apud Romanos, dirimi solebat. Rutus cum uxore ad socerum iturus, cum se ab illa delatum iri prævideret, vicinos comites adscivit. Cumqve Mördus, Ruti socer, ab

ab Höſkuldo Ruti fratre, cur ſua ſorte parum contenta eſſet filia, qværeret, reſpondens Rutus domeſticos ſuos & vicinos, qva ratione ſe erga uxorem gereret, teſtari juſſit. Illis vero auditis & cauſa cognita, Mördus ad filiam: *domum, inqvit, tu redito, & tua conditione acqvieſcito; omnia enim teſtimonia magis marito qvam tibi patrocinantur.* Vid. *Niála, Cap. VI.* De cæde maritorum Halgerdæ, qvibus ipſa mortis cauſa fuerat, in propinqvorum utrinqve convenientium concilio diſputatum & tranſactum fuit, vid. *L. c. Cap. XII. & XVII.* Uxorem furti ream in foro tuiturus Gunnarus, uxoris propinqvos arbitros & conſiliarios adhibuit; ſuumqve ob affinitatem officium agnovit Rutus, ſuam hac de re ſententiam dicere, vid. *l. c. Cap. LI.* Nec deſunt exempla conjugum, qvi cauſas matrimoniales ad judicium publicum, præſertim ſi divortium legitimum intenderent, retulerint. Hiörleifus Mulieroſus uxorem Aſam, vitæ mariti inſidiatam, in foro publico capitis damnari fecit, de qvo ſupra. Divortia qvoqve legitima in foro publico renuntiata fuiſſe, docet exemplum Thordi Ingunæ filii, de qvo *Laxdæla, Cap. XXXV. Þá ſprettr Þórdr upp, oc geingr til lögbergis; nefndi ſer ſidan votta, at han ſegir ſkilit vid Audi.* ɔ: *Exſiliens tum Thordus rupem judicialem adiit, ibiqve, nuncupatis teſtibus, divortium Audæ renuntiavit.*

3) Cædes uxoris a marito peracta infreqvens & monſtri ſimilis. Unicum tamen exemplum ſuppeditat *Landn. P. II. Cap. XXX. p. 160. 161.* Ubi Halbiörnus qvidam uxorem Halgerdam, Oddi Tungenſis filiam, diſcordem, & ſe alio migraturum ſeqvi recuſantem occidit; cujus mortem pater ipſe ulciſci nolens, per

 alios

alios tamen vindicavit. Coeterum masculæ fortitudinis adeo delicati amatores fuerunt prisci Boreales, ut eam cæde muliebri contaminari noluerint; heroë Virgiliano haud minus generosi, cujus hæc in *Æneid. Libr. II.* verba: *nullum memorabile nomen Foeminea in poena est, nec habet victoria laudem.* Hinc Ejulfus Griseus, cum ab Auda Gislii uxore magna affectus ignominia & pessime mulctatus adeo exarserit, ut cædem foeminæ his verbis: *drepit hana, þó blaúd se,* ɔ: *illam, utut secus muliebre, occidite,* comitibus imperaverit, illi, rem factu infamem, (*nídings-verc*), palam aversati, ducis dicto audire noluerunt; vid. *Vit. Gislii Surfonii, Cap. XXXII.* Similiter etiam Thorbiörnum, Biargeyæ membra frangi, ejusque comitem Thorhallum occidi jubentem, Brandus qvidam, ipsius Thorbiörni comes & amicus, indignitatem facti præfatus, minis deterruit. Vid. *Vit. Havardi Isfiordensis, ed. Hol. 1756 pag.* 46. Nimirum in inermes aut imbelles armis aut vi grassari, res sordida & nefaria habebatur. Horsum spectant verba Saxonis Grammatici: *Olim impuberem aut invalidum vita spoliare rubori deputabatur. Adeo cuncta verecundiæ momenta prisca pugilum fortitudo servabat.* Vid. *Hist. Dan. Libr. V. p.* 90.

4) Frotho III. Daniæ Rex uxorem Hanundam adulterii manifestam solo repudio punire cogitavit; verum svasu Erici Diserti repudiatam ad Rolleri, viri privati & sua conditione longe inferioris, nuptias adegit; teste Sax. Gramm. *Hist. Dan. Libr. V. p.* 70. & 81. Hiörleifi Mulierosi, uxorem Asam in se maleficam & judicio publico capitis damnatam, tantum repudiantis exemplum, supra allatum est. Nempe a cæde foemi-

foeminea tam abhorruerunt Boreales, ut mortis cruentæ exempla vix ſtatuerint niſi in veneficas, qvarum poena maxime ſolennis fuit lapidatio. Qvin etiam fuerunt, qvi uxores flagitioſas ne repudio qvidem punirent; qvemadmodum Scottus Ulvildam Frothonis I ſororem. Hæc enim, qvi maritum dormientem jugularent, mercede qvosdam conduxerat. Verum ille de inſidiis præmonitus, immiſſos percusſores obtruncare ſatis habuit, ulteriori, ut videtur, uxoris poena neglecta. Vid. *Sax. Gramm. Libr. II, p.* 24. 25.

5) Verba Taciti *de Mor. Germ. Cap.* 19. hæc ſunt: *melius qvidem adhuc eæ civitates, in qvibus tantum virgines nubunt, & cum ſpe votoqve uxoris ſemel tranſigitur. Sic unum accipiunt maritum, qvomodo unum corpus, unamqve vitam, ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tanqvam maritum, ſed tanqvam matrimonium ament.* Verum illa Tacitus ad qvasdam Germanorum civitates expreſſe reſtringit. Inter has civitates Erulos fuiſſe Lipſius exiſtimat, apud qvos adeo ſecundo matrimonio non locus, ut uxor marito mortuo laqveo ſeſe ſtatim juxta ſepulcrum indueret, niſi inviſa vivere mallet & infamis: teſte *Procop. Libr. II. de bell. Goth.* Tantum igitur ex hoc Taciti loco colligi fateor, qvod ſecundæ nuptiæ apud qvosdam Germanos vel illicitæ, vel minus ſaltem honeſtæ olim habitæ fuerint. Illa autem auctoris verba: *unum corpus, unam vitam, ne ulla cogitatio ultra &c,* non ita intelligenda credo, qvaſi maritos defunctos morte voluntaria & violenta ſeqvi omnes Germanorum uxores aut lege tenerentur, aut fuerint ſolitæ, ſed qvod maritis mortuis nulla viduis ulterioris matri-



monii ſpes, cogitatio aut cupiditas eſſe deberet. Si enim omnibus viduis commoriendum maritis fuiſſet, & liberis communibus alendis ac educandis, atqve adeo civitati peſſime conſultum eſſet, & clarius qvoqve, ſi hoc ſibi voluiſſet, locuturum fuiſſe Tacitum exiſtimamus. Certe infra, ubi funera Germanorum deſcribit, *his nullam ambitionem fuiſſe, idqve ſolum obſervatum, ut corpora clarorum virorum certis lignis cremarentur*; *ſtruem rogi nec veſtibus nec odoribus cumulatum*, *ſua cuiqve arma*, *qvorumdam igni & eqvum*, (nevtiqvam vero uxorem), *adjici ſolita*. Et paulo infra: *mortuos lugere foeminis*, (adeoqve & viduis ſuperſtitibus), *honeſtum fuiſſe*, *viris meminiſſe*, perhibet. Vid. *Libr. cit. Cap.* 27. Ante de Germanis belligerantibus narraverat Tacitus: *eos captivitatem longe impatientius foeminarum ſuarum nomine timere*. Vid. *Libr. cit Cap.* 8. Qvorſum autem uxoribus ſuis captivis metuerent, ſi hæ maritos cæſos voluntaria morte ſeqverentur; hanc enim nulla captivitas prohibere poteſt. Verum iſta, ut nonnulla alia apud Tacitum, cum mica ſalis accipienda putamus: qvemadmodum illud, *L. cit. Cap.* 14. *Infame in omnem vitam & probroſum, ſuperſtitem principi ex acie receſſiſſe.* Boreales qvidem præcipuæ ſibi gloriæ duxerunt, regi ſuo in acie commori. Qvo nomine Rolfi Krakii milites apud Saxonem laudantur: *Tantum excellentiſſimi regis meritis ea pugna a militibus tributum eſt, ut ipſius cædes omnibus oppetendæ mortis cupiditatem ingeneraret, eiqve morte jungi vita jucundius ducerent. Hiſt. Dan. Libr. II p.* 38. Laudantur etiam Norvegi, qvi, rege ſuo Haraldo Severo prælio in Anglia cæſo, oblatam ſibi a rege Anglorum pacem & vitam indigna-

indignabundo clamore rejiciebant; dicentes, *prius se confusæ stragis acervos propriis corporibus cumulaturos, qvam vitam & veniam hostibus debituros.* Vid. *Heimskr. T. III. Hist. IX. Cap. XCVI.* Biörni qvoqve Aulæ-magistri, qvi in prælio Stiklastadensi una cum Rege Olafo Sancto occubuit, mortem collaudat Sighvatus poëta:

Fell i her med hollum	i.e. *In acie cecidit cum fidis*
hann verdungar maunnum.	*Ipse Regis satellitibus.*
leyfdr er at hilmis höfdi	*Cluet mors viri, ad caput*
hródr-audigs sâ daudi.	*Gloriosi Regis prostrati.*

Vid. *Libr. cit. T. II. Hist. VII. Cap.* CCXLI *p.* 376. Nec tamen Vöggo, qvi regis Rolfi cædem vindicavit, nec Haraldo Severo, Finno & Thorbergo Arnii filiis, ex pugna Stiklastadensi superstitibus, nec Stirkaro Aulæ-magistro, aut aliis ex prælio in Anglia profugis, modo regem suum mascule & fideliter vivum propugnassent, & cæsum, si licuisset, fuissent ulti, regi ex acie superesse, ulli unqvam fuit vituperio.

6) Foeminarum, morte propria maritos defunctos vel amasios secutarum, *duo* sunt *genera.* Qvædam enim *spontaneo* & violento *suicidio* sese peremerunt, aliæ autem *doloris* & desiderii *impatientia* vel *subito præfocatæ* perierunt, vel *lente tabescentes luctu* & sqvalore *sensim confectæ* sunt. Posterius utrumqve mortis genus, *at springa af barmi*, ɔ: *dolore rumpi*, veteres dixerunt. Ad priorem classem referenda est Ogna illa, qvæ singulare mariti & rivalis certamen inspectans, cæso marito, semet ipsa ferro trajecit. Vid. *Hervarar-S. ed. Upsal. Cap. I. p.* 2. In harum qvoqve numero ponenda est Asmundi uxor, de qva *Sax. Gramm. Hist. Dan. Libr. I. p.* 14. *Conjux Gunhilda,*

 ne



ne ei superesset. spiritum sibi ferro surripuit, virumqve fato insequi qvàm vita deserere praeoptavit. Hujus corpus amici sepulturae mandantes, mariti cineribus adjunxerunt. Dignam ejus tumulo rati, cujus charitatem vitae praetulerat. Sygne (Signya) Saxonis, suum Hagbarthum suspendendum spontaneo suspendio ipsa prævertit. *Hist. Dan. Libr. VII. p.* 131. Nec suo hic loco defraudari debet mythicis Eddarum fabulis decantatissima Brynhilda Budlii filia, qvæ Sigurdo Fafnericidæ amorem & matrimonii fidem jurata addixerat. Hæc enim, ubi promissis fidem non servari, & Sigurdum aliam uxorem, nempe Gudrunam Giukii f. duxisse, se vero alii marito, nempe Gunnaro, nuptam videret, zelotypiæ & amoris ulcíscendi oestro percita maritum ad occidendum Sigurdum induxit primum, illoqve cæso semet ipsa ferro interfecit, & cum Sigurdo, non secus ac uxor, simul efferri & concremari voluit. De hoc *Edda Sæm. Od. Brynhildarqv. Prol. Brynhildr vildi eigi lifa eptir Sigurd. Hon let drepa þræla sina átta oc fimm ambáttir. Þá lagdi hon sic sverdi til bana.* ɔ: *Brynhilda Sigurdo supervivere noluit. Servos suos octo & qvinqve ancillas interfici curavit, & gladio deinceps adacto semet ipsa vulnere lethali transfixit.* Hos autem servos & ancillas cum se & Sigurdo cremari qvod præceperit Brynhilda, ejus ex religionis Odinianæ principiis illa ratio dátur, qvod eo gratiores Odino & diis inferis advenas futuros crederent, qvo plures secum cæsos Valhallam adducerent. Sed vereor, ne ipso Odino, saltem ultimo, ritus ille sepulchralis longe sit antiqvior. De Gallis refert Julius Cæsar. *Bell Gall VI.* 19. *Funera sunt pro cultu Gallorum magnifica & sumtuosa, omniaqve*

qve, qvæ vivis cordi fuiſſe arbitrantur, in ignem inferuntur, etiam animalia, ac paulo ſupra hanc memoriam, ſervi & clientes, qvos ab iis dilectos fuiſſe conſtabat, juſtis funebribus confectis, una cremabantur. Hæc ſemiſeculo circiter ante æram chriſtianam ſcripta ſunt; qvo tempore Odiniana ſacra in Evropam vix inducta, nedum in Gallia conſtabilita crediderim. Aliqva ritus in Septentrione veſtigia manſere. Servus enim, mortuo domino Aſmundo, necem ſibi conſcivit, & ſimul cum domino tumulatus eſt. Vid. *Landn. P. II. Cap. VI. p.* 72. Audita Ingimundi Grandævi morte, duo ejus amici Eivindus Sörqverus & Gautus, morte cruenta ſemet ipſos interfecere. Vid. *Vatzdæla, Mſt.* conf. *Landn. P. III. Cap. V. p.* 202. 203. Adeo vilis in dominorum & amicorum funere vita fuit. Attilæ Hunnorum regis, qvocum magna Brynhildæ noſtræ Eddicæ ſangvinis & temporis propinqvitas fuiſſe creditur, funere refert Jornandes, *de Reb. Get. ed. Hamb.* 1611. *p.* 131. & 132. *Tunc, ut illius gentis mos eſt, crinium parte truncata, informes facies cavis turpavere vulneribus, ut præliator eximius non foemineis lamentationibus, ſed ſangvine lugeretur virili.* Ubi deinceps laudes carmine funereo recitatas, reliqvamqve apparatus pompam, & convivium funebre, qvam *Stravam* vocant, deſcripſit, refert loculum regis auro, argento & ferro ſumtuoſe exornatum, adjectis armis hoſtium cæſorum, phaleris vario gemmarum fulgore pretioſis, & diverſi generis inſignibus aulicis, noctu & ſecreto terra reconditum. Deniqve addit: *Et ut tot & tantis divitiis humana curioſitas arceretur, operi deputatos trucidarunt, emerſitqve momentanea mors ſepelientibus cum ſepulto.* Ad qvæ obſer-



obſervatu dignum eſt 1) qvod corpus regis Hunnici non cremaretur, 2) qvod nulla uxoris Attilæ, qvam nuper duxerat, qvæqve morienti affuit, ſimul occiſæ aut ſepultæ fiat mentio, & 3) qvod rex clam & noctu ſepultus, & qvi ſepulturæ adhibiti, ſimul fuerint occiſi; qvod tamen non in honorem regis defuncti factum videtur, ſed ne theſauros cum rege tumulatos vel ipſi deinceps diriperent, vel aliis refodiendos proderent. Eadem conſvetudo inter Boreales etiam obtinuit; hi enim, cum ex promiſſo Odini crederent ea ſe pecunia poſt mortem fruituros, qvam ipſi terra abdiderint, (vid. *Heimskr. T. I. Hiſt. VIII. p.* 13.), morti vicini ingentes theſauros locis incognitis & acceſſu difficilibus defodere, ſimulqve miniſteria operi adhibita, ne locum manifeſtarent, jugulare ſolebant; qvemadmodum fecerunt Skallagrimus, ejusqve filius Egillus, (vid. *Eigla, Cap. XXXIIX. & LXIV.*), nec non Ketilbiörnus Moſſellenſis, vid. *Landn. P. V. Cap. XII.* Ut autem ad foeminas, qvæ heroicum in viros amorem morte ſpontanea & violenta teſtatæ ſunt, redeamus, illis accenſeri digna eſt Bergthora Niali uxor, qvæ ſimul cum marito & filiis comburi, qvam iisdem ſupereſſe maluit, Floſioqve vitam ipſi offerenti magnanima reſpondit: *ec var úng geſin Niáli, heſi ec því heitit hanom, at eitt ſkyldi gánga yſir ockr bædi*, ɔ: *Nialo juvenis nupta ſum, illiqve unum utriusqve exitum futurum promiſi.* Vid. *Niala, Cap. CXXX.* Illarum autem uxorum magis crebra ſunt exempla, qvæ ad maritorum vel amaſiorum mortem præ nimio dolore vel repente conciderunt exanimes, vel ægritudine paulatim collecta vitam brevi amiſerunt. De Nanna Neſi filia habet *Edda Snor-*

Snorrii, cujus codex chartaceus melioris notæ mihi ad manus: *Þá var borit út á ſkipit lík Baldrs, oc er þat ſá kona hans Nanna Nefs dóttir, þá ſprack hon af harmi oc dó, var hon borin á bálit, oc ſlegit i eldi.* ɔ: *Tum corpus Balderi in navem*, (in qva cremandus erat) *transfertur; qvod cum ipſius uxor Nanna Neſi filia videret, ſuffocata dolore corruit mortua. Rogo igitur & ipſa imponitur, ignisqve ſubjicitur.* Eodem mortis genere obiit Ingibiarga, qvæ ad nuntium mortis Hialmari, qvem penitus dilexit, ſella retro defluens illico exſpiravit. Vid. *Vit. Oddi Sagittarii* (vulgo *Örvar-Oddi) Cap. XII.* Lento autem dolore maceratæ mortuos maritos brevi inſecutæ ſunt, Sigruna eddica Helgium; de qva *Edd. Sæm. Od. Helga qv. Hundings-b. II. Prolog. Sigrun vard ſkammlíf af harmi oc trega.* ɔ: *Præ dolore & deſiderio* (mariti) *brevi Sigruna ſuperfuit.* Svanhvita Regnerum; de qva Saxo, *Hiſt. Dan. Libr. II. pag.* 28. *Regnero apud Svetiam defuncto, conjunx ejus Svanhvita parvo poſt & ipſa, morbo ex moerore contracto decedit, fato virum inſecuta, a qvo vita diſtrahi paſſa non fuerat. Fieri namqve ſolet, ut qvædam ob eximiam charitatem, qvam viris impenderant, etiam vita excedentes comitari contendant.* Thyra Regina marito Olafo Tryggvii filio, in prælio Svoldrenſi vel cæſo vel fugato, novem tantum dies ſuperſtes, luctu & cibi abſtinentia voluntaria periit. Vid. *Hiſt. Ol. Trygv. ed. Scalh. P. II. Cap. LXXVII. p.* 314. Hrefna Kiartanum maritum lethifico dolore luxit; de qvo *Laxd. Cap. LIIX. Aungvan tóc Hrefna mann eptir Kiartan; hon lifdi litla hríd eptir þat hon kom nordr, oc er þat ſögn manna, at hon hafi ſprúngit af harmi.* ɔ: *Defuncto Kiartano procos omnes*



omnes aspernata Hrefna, breviqve, postqvam boream versus ad suos redierat, superstes ex luctu obiisse vulgo traditur. Huc referri potest Helga Pulchra, & Oddnya, qvæ non maritos, invitæ enim nupserant, sed viros, qvibus prius in matrimonium pactæ fuerant, illa qvidem Gunlogum Ormstungam, hæc Biörnum Hitdalensium Athletam, ad ægritudinem & mortem usqve luxerunt. Vid. *Vit. Gunl. Vermil. Cap. XIII. & Vit. Biörni Hitdal. Athl. Cap. XXXIV. Mst.*

7) De divortio Sigridæ Imperiosæ cum Erico Victorioso Sveciæ rege, locum Oddi Monachi ex Historia Olafi Trygvini, qvoniam mihi ad manus non est, (nec enim in hujus regis Historia Scalholti edita, nec in Heimskringla Snorrii tale qvidpiam reperio), adducam ex *Bartholini Antiqvit. Dan. Cap. X. p.* 507. *Sumir segia, at hon vildi fyrir því eigi med honom vera, at þat voro lög i landi ef misdaudi yrdi hióna, at konu skyldi setia i haug hiá hönom, en hon vissi at þat lá á konungi, at hann skyldi eigi lifa um tiu vetor. Oc het hann því til sigrs ser, þá er hann bardist vid Styrbiörn, at hann skyldi eigi leingr lifa sidan, en tiu vetr.* ɔ: *Tradunt qvidam eam idcirco cum illo remanere noluisse, qvod lex istius patriæ, si ex conjugibus maritus moreretur, superstitem uxorem tumulo simul inferri juberet; Novit autem regem decem annos non supervivere posse, cum contra Styrbiörnum dimicans votum vovisset, se non ultra decem annos vitæ exinde expetere, modo victoriam adipisceretur.* Conf. *Joh. G. Keysleri Antiqvit. Septentr. & Celt. Sect. II. Cap. II.* §. *X. p.* 147. Nec non *J. Chr. Cleffel. Antiqvit. Germ. Sept. Cap. I.* §. *XIX. p.* 63. 64. Verum fateor ego hanc viduarum exterminatricem legem, de qva, ut ab incertis tradi-

traditionibus profecta, dubitare Oddus ipse videtur, mihi adeo suspectam esse, ut eam nunqvam in Septentrione vel latam fuisse, vel usu viguisse fere dixerim; utpote cujus, nec apud Saxonem, nec in toto Historiæ Norvegicæ opere Sturlæsoniano, qvod ritus, instituta & leges Septentrionis antiqvi, ut alibi, ita in Svecica illa *Ynglingorum Historia*, passim percenset, nec in aliis monumentis patriis biographico-historicis, qvod meminerim, ulla fiat mentio; & ne exemplum fere, si ea, qvæ superius attulimus, exceperis, qvæ historici ut rara & insolentia annotarunt, qvod utiqve non fecissent, si maritis superesse per legem publicam & communem patriæ consvetudinem viduis nefas fuisset. Accedit, qvod non modo virginum, sed nuptarum qvoqve foeminarum, connubia per certamina singularia & bella acqvirendi modo, in regnis his borealibus ante monarchiam nihil fuerit freqventius; qvod, si omnibus viduis violenta morte cum primo marito pereundum, & nullæ nuptiæ secundæ licitæ fuissent, locum habere non potuit. Neqvid de innumeris fere exemplis dicam, qvæ viduas non modo marito primo superstites fuisse, sed & ad iteratum matrimonium citra omnem opprobrii aut infamiæ notam progressas esse docent. De qvibus infra pluribus.

8) Vid. *Joh. G. Keysl. Antiqvit. Septentr. Sect. II. Cap. II. §. X. p. 147.* *Seqvior sexus Valhalla excludebatur, nisi uxor mariti fata seqveretur. J. Cleff. Antiqvit. Germ. Sept. Cap. I. §. XIX. p. 62. Secundæ qvoqve nuptiæ mortuo marito usitatæ fuisse non videntur;* & p. 63. *Accedit qvod mulieres mortuis maritis se ipsas comburere coactæ fuerint, ut gaudiis Valhallæ fruerentur, qvorum participes alias fuisse non poterant; sed exclu-*



exclusæ iis erant, nisi violenta morte una cum maritis extinctæ. Uterqve vir secutus videtur *Th. Bartholinum*; cujus hæc in *Antiqvit. Dan. Libr. II. Cap. VI. p.* 352. & 353. verba: *Palatium ejus (Frejæ), dictum Laxa Sessio, magnum est & pulchrum, qvo secundum aliorum opinionem recipiendæ credebantur eorum animæ, qvi ipsam præcipue colerent, & nobiliores mulieres ac vim vitæ suæ inferentes.* Hanc opinionem porro Bartholinus partim Magno Olafio, qvi matronas sibi honorificum apud Frejam post mortem hospitium promisisse scribit, partim Thorgerdæ Egilli f. verbis se debere fatetur; hæc enim cum inedia voluntaria se patri commorituram simularet, *non prius, qvam apud Frejam, coenare se velle* dixit. Vid. *Eigla, Cap. LVI.* Porro, *Libr. cit. Cap. X. p.* 507. *seqv.* id agit Bartholinus, ut uxores cum maritis defunctis crematas & sepultas fuisse demonstret. Provocant autem hi viri, mea qvidem laude majores, qvo suæ opinioni patrocinentur, partim ad *legem Oddi* supra memoratam, partim ad *Eddas*, partim ad *foeminarum maritis sponte commoritarum exempla.* De *Lege* qvidem nostram ante sententiam exposuimus, & *exempla* qvoqve tetigimus, infraqve tangemus. Pro *Eddis* autem hic spondemus, nihil iis, nisi valde fallimur, contineri, qvod reliqvis exclusis, iis tantum foeminis, qvæ mortuis maritis, violenta & spontanea se nece peremerint, Valhallæ gaudia & Frejæ hospitium polliceatur. Thorgerdæ autem exemplum adeo huc non facit, ut contrarium potius adstruat; illa enim non maritum, sed patrem fratremqve sponte moriendo secuturam se dixit. Ast Nanna marito qvidem commortua fuit, verum non tam morte spontanea qvam naturali, etsi subi-

ſubitanea, utpote præ dolore exſtincta. Nec enim ipſa ſibi vim attulit, nec ab aliis occiſa fuit. Unde etiam cum marito Baldero apud Helam ab Hermodo inventa eſt; ibiqve usqve poſt Deorum Crepuſculum utrumqve conjugem manſuros, Edda magiſtra credimus. Et qvî, qvæſo, amorem conjugalem morte voluntaria teſtatis heroinis ad Frejam poſt mortem abeundum, cum hæc dea, a marito Odo deſerta, Odiniqve aut uxor, (teſte *Edda in Appellationibus Poëticis*), aut concubina, (vid. *Hiſt. Ol. Trygv. ed. Scalh. P. II. Cap. XVII. p.* 49.), neutri in amore fidelis, utpote Aſorum Alforumqve commune ſcortum, qvod illi, nec inficiante patre Niördo, exprobravit *Lokius*, (vid. *Edd. Sæm. Od. Ægis-dr. Str. XXX. & XXXIII.*), neutrum morte violenta aut voluntaria ſecuta, utpote Odino & diis omnibus ſuperſtes, teſte *Heimskr. Hiſt. I Cap XIII. p.* 16. Eqvidem Magno Olafio, foeminas nobiliores apud Frejam poſt mortem paratas ſibi ſedes crediđiſſe ſtatuenti, minime refragor; hoc enim tam Thorgerdæ verba, qvam Gefiunæ exemplum, docent. Etenim hæc *dea*, ſemper *virgo, eas mulieres, qvæ virgines moriuntur, poſt mortem recipere* in Edda Snorrii dicitur. Qvemadmodum porro viri militares morte violenta peremti Valhallæ gaudia ſibi promittebant, ita foeminas ingenuas & nobiles poſt fata, dearum, Fryggæ, Frejæ, aut aliarum, prouti qvæqve hanc vel illam viventes præ cæteris coluiſſent, hoſpitia ſperaſſe, plusqvam credibile putamus. Etſi vero mors cruenta ex religionis Odinianæ principiis diis gratiſſima fuerit, & *Freja cæſorum ſtragem cum Odino partiri* in Edda perhibeatur, mortis tamen ſangvineæ decus ad viros,

non ad foeminas pertinuiſſe videtur. Unde dii mares, Odinus & Niördus, morti vicini, qvo mortem cruentam imitarentur, corpus ſuum ritu religioſo haſta notari fecerunt, teſte *Heimskr. T. I. Hiſt. I. Cap. X. & XI. p.* 14. & 15. qvod deas, Fryggam, Frejam, vel alias, feciſſe nuſpiam legimus. Qvodſi autem Frejam foeminarum morte violenta, qvibus tamen ipſa non exemplo, & ne ſimulato qvidem, præiit, delectatam dixeris, certe, cur violentæ iſtius mortis ſolum maritorum amorem cauſam eſſe voluerit, nulla idonea nec ex Eddis, nec, ut opinamur, aliunde ratio dari poterit, verbis Thorgerdæ, ut ante dictum, palam reclamantibus.

9) Univiras ubiqve fere gentium exiſtimatas, ſecundas vero nuptias minus honoratas, vel etiam illicitas fuiſſe, loca ſupra, §. *II. Not.* 1. adducta docent, qvibus plura nullo negotio adjici poſſent; verum illis res nota ſatis non eget. Idem etiam Boreales, etſi matrimonium iteratum pro illicito non haberent, ſenſiſſe vix ullum eſt dubium. Laudatur Hrefna Kiartani uxor, ulterius poſt fata mariti matrimonium averſata. *Aungvann tóc Hrefna mann eptir Kiartan.* ɔ: *Nullum Hrefna, poſt Kiartanum, maritum ſumſit.* vid. *Laxdæla, Cap. LIIX.* Auda, cum ad virum hoſtibus prodendum ab Ejulfo ſollicitaretur, oblatam melloris & commodioris matrimonii conditionem faſtidioſe & contemtim rejiciebat, omnes ſibi præ Giſlio maritos ſordere palam confeſſa. Vid. *Vit. Giſlii Surſon. Cap. XXXI. p.* 172. Et ſi ad altiora tempora adſcendere placuerit, Svavam ex Edda Sæmundi producemus, qvæ moribunda conjugi Helgio, Haddinga-ſkate dicto, ut ſe mortuo fratrem ſuum Hedinum matrimonio ſibi

fibi jungeret, inducere tentanti, refpondit: v. *Helgaqv. Haddinga-fk. Str. penult.*

Mælt hafda ec þat, i.e.	*Fidem verbis dederam*
i munar heimi	*In fede geniali,*
þar er mer Helgi	*Ubi me lectis Helgius*
hringa valdi.	*Annulis donabat,*
myndiga ec loftig	*Me minime lubentem,*
at lidinn fylci	*Poft fata regis (mariti),*
iöfr okunnan	*Principi incognito*
armi veria.	*Daturam circum brachia.*

10) Uxores, qvæ maritorum fata morte fpontanea & violenta comitatæ funt, admirationem & honorem infignem meruiffe, fuo exemplo docet Porcia, Catonis Uticenfis filia & Bruti uxor; de qva fic *Val. Max. IV. 5. Tuos qvoqve caftiffimos ignes, Porcia, cuncta fecula debita admiratione profeqventur: qvæ cum apud Philippos victum & interemtum virum tuum Brutum cognofceres, quia ferrum non dabatur, ardentes ore carbones haurire non dubitafti, muliebri fpiritu virilem patris exitum imitata.* Hoc Porciæ facinus etiam concelebrat Martialis, *Libr. I. Epigr. XLIII.*

Conjugis audiffet fatum cum Porcia Bruti,
Et fubtracta fibi qværeret arma dolor.
Nondum fcitis, ait, mortem non poffe negari,
Credideram fatis hoc vos docuiffe patrem.
Dixit, & ardentes avido bibit ore favillas.
I nunc, & ferrum, turba molefta nega.

Similem ob caufam a Plinio & Tacito Arria Pæti uxor laudatur, qvæ, qvo maritum capitis damnatum ad mortem virili animo oppetendam excitaret, ipfa prius pectus fuum perfodit, & extractum e vulnere pugionem marito porrigens, memorabili hac voce



usa dicitur: *Pæte, non dolet.* De hoc etiam *Mart. Libr. I. Epigr. XIV.*

Casta suo gladium cum traderet Arria Pæto,
Qvem de visceribus traxerat ipsa suis,
Si qva fides, vulnus, qvod feci, non dolet, inqvit:
Sed qvod tu facies, hoc mihi, Pæte, dolet.

Nec splendoris minus aut gloriæ Borealium uxoribus lethificum maritorum amorem peperisse, Saxonis de Gunnilda, Asmundi mariti cruentæ mortis & sepulcri socia, docet ephiphonema. Vid. *Hist. Dan. Libr. I. pag.* 14. *Jacet itaqve Gunnilda, aliqvanto speciosius virum busti qvam thori societate complexa.* Idem innuit Brynhilda, cum marito Gunnaro sua & suorum fata moribunda caneret, Gudrunamqve ipsius sororem secundis nuptiis Atlii fore uxorem, qvem suis ipsa manibus esset peremtura, prædiceret. Vid. *Edd. Sæm. Od. Sigurdar-qv.*

Sæmri væri Gudrun,	i. e. *Plus deceret Gudrunam,*
systir occor	*Glorem, me atqve*
frumver sinom	*Primivirum suum*
at fylgia daudom.	*Mortuos comitari.*

Primivirum (frumver) Sigurdum Fafnericidam Brynhilda intelligit, primum scilicet Gudrunæ maritum, nuper occisum, & cujus ob amorem semet ipsa interfecerat Brynhilda.

11) Non modo eddicæ heroides, Svava Helgio, Gudruna Sigurdo & Atlio, de qvibus supra, sed & historicæ, Moalda Gunnaro, Auda Prædives Rörico, Aslauga Regnero Lodbrokio, (vid. *P. F. Suhms Hist. af Danm. T. I. p.* 456. 469. 574.), Thyra Dannebod Gormio Grandævo, (vid. *Hist. Ol. Trygv. ed. Scalh. T. I. Cap. LXXIIX. p.* 81.), Asa Malefica Gudrödo, & alia

alia Asa Gudrödo Venatori, (vid. *Heimskr. T. I. Hist. I Cap. XLIII. p.* 53. *& Cap. LIII. p.* 61. conf. *L. cit. Hist. II. Cap. I. pag.* 65.); Gunhilda Ericô Blodöxio & Asta Haraldo Grænskio, (v. *Heimskr. T. I. Hist. IV. Cap. V. p.* 129. & *Hist. VI. Cap. XLIX. p.* 244. 245.), & hæ qvidem foeminæ principes & reginæ, suo omnes seculo illustrissimæ, maritis supervixerunt. Privatæ conditionis viduæ, Droplöga Thorvardo, (vid. *Fliótsdæla, Cap. IIX. & IX.*), Thorgerda Kollo, (vid. *Laxdæla, Cap. IIX.*), Jofrida Thoroddo, (vid. *Vit. Gunl. Vermil. Cap. I. pag.* 20. conf *Not.* 17. *p.* 21.), & innumeræ aliæ aliis maritis mortuis, temporibus ethnicis non modo superfuerunt, verum ad novas etiam progressæ sunt nuptias.

12) Leges Frothonis III exhibet Saxo Gramm. *Hist. Dan. Libr. V. p.* 85. 86.


13) Leges Odini commemorat Snorrius. Vid. *Heimskr. T. I. Yngl. S. Cap. IIX. p.* 13.

14) Qvam facile illa lex, si unqvam exstiterit, eludi per divortium potuerit, suo exemplo monstravit Sigrida Imperiosa. De divertendi facultate, uxoribus Borealium ab antiqvissimis temporibus licita & exercita, vid. infra, §. *XXIIX. & XXX.*

§. XXV.

Ad maritorum in uxores potestatem regredior. Hujus præcipua fuere capita: I) *Jus uxorem remancipandi*, & II) *alteri emancipandi*. Per stipulationem sponsalitiam

 &

& insecutas nuptias foemina ex patris potestate in viri potestatem transibat, atqve, ut veteres Romani loqvi solent, *in manum*, i. e. in potestatem viri *conveniebat* (1). Ejusmodi actum, qvo pater filiam marito in manum tradebat, *emancipationem filiæ* Romani vocabant (2). Qvoniam igitur unum qvodqve eo modo dissolvi potest, qvo colligatum est, & qvæ in jure contrahuntur, contrario jure pereunt (3), ita potestatem in uxorem, per justas nuptias in se translatam, potuit maritus eodem, qvo tradiderat pater, jure, & abdicare & in alterum transferre. Nimirum potuit maritus uxorem sibi a patre mancipatam, & remancipare (4), &, non secus ac pater filiam, alteri emancipare (5). Utiqve igitur uxoris, non dimittendæ modo, sed & alteri in matrimonium dandæ, jus habuere mariti, non solum Romani, sed & prisci Boreales. Argumentis historicis utrinqve res adstruitur (6).

1) Romanorum uxores, sive per *confarreationem*, sive *coëmtionem* maritis locarentur, in viri potestatem transibant. Hac de re Heineccii verba afferre non piget. Vid.

Vid. *libr. & loc. supr.* §. *XXIII. Not.* 1 *cit. Auctores sane omnes fatentur, uxorem convenisse in manum. Manum vero in jure significare potestatem tralatitium est. Imo Gellius multo disertius uxorem ejusmodi in mancipio fuisse statuit. In mancipio vero esse procul dubio includit potestatem, imo & ipsum dominium juris Qviritium.*

2) Nempe *emancipare liberos* pater dicebatur, cum eos e potestate patria dimitteret. Hoc in filiabus fiebat, cum illæ per coëmtionem nuptialem maritis in manum traderentur. Huc spectant ista Terentii, *Andr. Act. I. Scen. V.*


Te isti virum do, amicum, tutorem, patrem.
Bona nostra hæc tibi permitto, & tuæ mando fidei.
Hanc mihi in manum dat. — — —
Accepi, acceptam servabo.

Conf. *Heinecc. Antiqvit Rom. I.* 10. 15. & *I.* 12. 11.

3) Verba sunt Heineccii, *Libr. cit. I. Adpend.* §. *XLVII.*

4) *Remancipationem* Romani dicebant actum, qvo maritus uxorem per coëmtionem adscitam repudiabat. Vid. Heinecc. *Libr. cit. I.* 10. 13. Hinc Festus dixit: *Remancipatam Gellius esse ait, qvæ mancipata sit ab eo, cui in manum convenerat.* Qvemadmodum triplici ratione matrimonia apud Romanos contrahebantur, nempe *confarreatione*, *coëmtione* & *usu;* ita triplex qvoqve dabatur matrimonia rescindendi modus. Nimirum conjugium per confarreationem initum *diffarreatione*, per coëmtionem *remancipatione*, & *usu* contractum *usurpatione* solvebatur. Vid. Heinecc. *Libr. cit. I.* 10. 1. & *I. Adpend.* §. *XLVIII.* Divortia autem ex lege Romuli, & semper deinceps, certas ob causas maritis concessa fuisse, supra, §. *II.*

 Not.



Not. 2. monſtravimus. Eadem qvoqve Borealibus licita & crebro ſatis uſitata olim fuiſſe, infra mox oſtendetur.

5) Apud Romanos poteſtatem patriam per coëmtionem nuptialem a patre in maritum tranſiiſſe, ita ut qvæcunqve patri in filiam, ea marito qvoqve in uxorem licuerint, multa ſunt qvæ evincant. Nempe uxores 1) antiqviſſimis temporibus aſſumſere nomina maritorum, tanqvam filiæ: ex gr. Antonia Druſi, Domitia Bibuli, Meſſalina Neronis, &c. 2) tanqvam liberi nihil ſibi, ſed omnia maritis adqvirebant; 3) maritorum erant hæredes, non ſecus ac filiæ; 4) maritos factorum judices domeſticos agnoſcebant, a qvibus delinqventes non modo caſtigari, ſed & pro arbitrio puniri poterant; & 5) inſignis hac de re *Caji* apud *Pariatorem* locus: *Sororis loco liberis fuiſſe matrem aut novercam, qvæ per in manum conventionem apud patrem eorum jus filiæ conſecúta ſit;* qvæ omnia plenius pertractat Heineccius *Libr. cit. I.* 10. 6. *III.* 1, 2. Nihil tamen evidentius rem illam commonſtrat, qvam 6) lepidum iſtud Qviritium jus, qvo marito uxorem propriam, a ſe remancipatam, non ſecus ac filiam, alteri deſpondere & in matrimonium dare licebat. Et hoc qvidem non furtim & in angulo, ſed palam & ſolenniter, non ab umbraticis hominibus, ſed a viris clariſſimis, jurisqve patrii cum peritis tum obſervantibus factum, graviſſimorum auctorum fide & teſtimoniis conſtat. Catonem Uticenſem, qvo viro virtutis & juſtitiæ vix alius rigidior ſatelles, uxorem Marciam præſentem deſpondiſſe Hortenſio, refert Plutarchus, *in Catone.* Liviam, Druſi Claudiani filiam, deſpondente Nerone, cui ante nupta fuerat, Cæſari Auguſ-

Augusto nupsisse, perhibet Vellejus, *II.* 94. *Hanc Cæsar* (Augustus) *cupidine formæ, abstulit marito, incertum an invitam; adeo properus, ut, ne spatio qvidem ad enitendum dato, penatibus suis gravidam induxerit;* teste Tacito, *Annal. V.* 1. De hoc matrimonio Dio Cassius, *Hist. Rom. XLIIX.* 44. refert. *Ambigentem Cæsarem, fasne sibi esset, eam prægnantem ducere, a pontificibus sciscitatum fuisse; responsumqve, si, an concepisset mulier, dubitaretur, opus esse ut nuptiæ differrentur; qvia vero de eo constaret, nihil impedire, qvin statim fierent. Fortasse id in jure a majoribus tradito vere invenisse pontifices; profecto vero ita, ac si nihil invenissent, respondisse.* Hactenus Dio. *Pontifices* illos *per ludibrium consultos* existimat Tac. *Annal. I.* 10. Addit porro Dio, *L. cit. Despondit autem Liviam ipse maritus, dicta dote, ut pater.* Tertium id genus matrimonii exemplum ex eodem Dione dabimus, *Hist. Rom. LIX.* 12. *Paucis interpositis diebus Cajus* (Caligula Imperator) *Lolliam Paullinam duxit, coacto ejus marito Memmio Regulo, ut eam sibi desponderet, ne præter leges videlicet non desponsam duceret.* Hujus conjugii meminit Svetonius, *in Vita Caji Imper. c.* 25. *Lolliam Paullinam C. Memmio consulari, exercitus regenti, nuptam, subito ex provincia evocavit, ac perductam a marito conjunxit sibi.* In qvæ Svetonii verba Josephus Scaliger sic commentatur: *Augustus uxorem Liviam a priore viro Nerone abducens, eam tanqvam a patre traditam accepit; ita etiam Caligula Lolliam Paullinam a Memmio accipiens, coëgit eum sese illius patrem profiteri. — Non poterat eam ducere, nisi desponsatam: desponsare autem patris est. Patrem igitur maritum sese dicere coëgit.* In



qvo tamen, an non falſus, & ab Evſebio, eadem aſſerente, ſeductus vir magnus fuerit, neſcio. Non enim, ut patrem ſe uxoris diceret, Cajus Memmium adegit, patria enim in uxores poteſtate jure Qviritium gaudebant Romani, ſed, ut hac poteſtate contra propriam voluntatem uteretur, dum uxorem invitus remanciparet, & Cajo in matrimonium deſponderet daretqve, ad hoc ab Imperatore coactus fuit.

6) Jus illud ſingulare Qviritium, qvo *uxorem maritus vivus cedere, & alii in matrimonium dare* potuit, in Septentrione olim exercitum viguiſſe, qvis crederet. Rem tamen exempla mox adducenda condocent. De Gramo Daniæ Rege habet Saxo, *Hiſt. Dan. Libr. I. p. 6. Educatoris ſui Roari filiam, coævam ſibi collactaneamqve, qvo majorem incunabulis gratiam referret, uxorem adſcivit; qvam poſtmodum Beſſo cuidam, qvod ejus ſtrenua opera ſæpenumero uſus fuerat, mercedis loco conjugem tribuit.* Ob nullam igitur uxoris offenſam aut culpam, ſed in gratiam amici, conjugem alteri ceſſit Gramus. Secus autem Frotho III. Daniæ Rex fecit, qvi uxorem Hanundam in poenam adulterii Rollero elocavit; qvæ uxoris ceſſio cum repudio ignominioſo conjuncta fuit, teſte Saxone, *Hiſt. Dan. Libr. V. p.* 81. Ne qvis autem ſuſpicetur, hoc ſolis olim regibus licuiſſe, exempla dabimus, qvæ privatos etiam homines idem ſibi juris in uxores ſumſiſſe commonſtrent. Paulo infra prima occupatæ Iſlandiæ tempora duos inſulæ colonos Landnama memorat, Illugium & Holmſtarrium, qvi uxores inter ſe commutarunt. Verba auctoris hæc ſunt. Vid. *Landn. P. I. Cap. XXI. p.* 49. 50. *Illugi Raudi keypti vid Holm Starra bædi löndom, oc konom, oc lauſa-fe öllo, þá feck Illugi Jórun-*

Jórunnar dóttur Þormódar Þióstars sonar af Alftanesi. Enn Sigrídur sem hann átti ádur hengdi sig i hofenu, Þvíat hún vildi eigi manna-kaupin. ɔ: *Illugius Rufus & Holmstarrius tam prædia & uxores, qvam omnia bona mobilia inter se commutarunt. Jorunam igitur Thormodi filiam, Thiostari Alftanesensis neptem, tum duxit Illugius. Sigrida autem, ejus antea uxor, maritorum permutationem exosa, in fano uecem sibi suspendio conscivit.* Unde inconsultis uxoribus id fecisse maritos simul colligitur. Emtio venditio insolens qvidem & faceta, sed qvæ jure licita fuisse videtur. Id igitur revera effectum dederunt Illugius & Holmstarrius, qvod Plautini senes, Callicles & Megaronides per jocum reciprocarunt: *Vin commutemus* (uxores)? *tuam ego ducam, & tu meam?* Vid. *Trinum. I.* 2.21. Aliud porro uxoris in matrimonium alteri concessæ exemplum Floamannorum Historia suppeditat. Nimirum Thorgilsus qvidam, Comitis Atlii Gracilis, (cujus in *Heimskr. T. I. Hist. III. Cap. XIII. p.* 87. & 88. & alias passim fit mentio), pronepos, cum in Norvegiam ad prædia avita reposcenda trajecisset, a Comite Hladensi Hacono, qvi Norvegiæ regnum tunc temporis usurpabat, ad reditus Regis Norvegi exigendos unacum præfecto regio, nomine Thorsteino Albo, in Hæbudas mittitur. In hac expeditione naufragium passus, & apud Olafum, Chatnesiæ, qvæ Scotiæ pars maxime borealis freto Pethlandico & Orcadibus obtenditur, Comitem hyemans Gudrunam Comitis sororem, pirata Surto eandem ambiente singulari certamine prostrato, uxorem meruit. Negotiis deinde sibi mandatis in Hæbudibus prospere defunctus, cum uxore & sociis in Norvegiam revertitur. Hic

aliqvam.



aliqvamdiu excurſibus piraticis vacans, ſuſceptoqve interim ex uxore filio Thorleiko, in patriam tandem priusqvam abiret, amico & ſocio Thorſteino Albo uxorem Gudrunam in matrimonium locavit, his ad Thorſteinum verbis uſus: *Ec hef reynt þic gódann dreing; mun ec nú oc launa þer med einnre giöf; ſkal ec gefa þer Gudrúno kono mina, þvi þat hef ec fundit, at þú hefr lagt áſtar-þocka til hennar, þótt þú hafir vel med þat farit. Þorſteirn þackadi miöc giöfina, oc þótti mönnom mikils um þetta verdt.* ɔ: *Te virum fortem bonumqve expertus dono nunc uno remunerabor. Uxorem enim meam Gudrunam, in qvam tuus qvidem, ſed qvi honeſtatis & amicitiæ regulas nunqvam migraverit, amor mihi ſuboluit, in matrimonium tibi dabo. Inſignes pro munere gratias Thorſteinus retulit; factumqve præclarum ivit in ora ſermonesqve hominum.* In Iſlandiam deinceps redux Thorgilſus, ducta uxore Thoreya, liberos procreavit. Vid. *Hiſt. Floamann. Cap. XVII. ſeqv.* Hæc de *ultronea uxoris ceſſione* jam dicta. Verum fuit etiam, cum *uxorem maritus alteri invitus cedere* cogeretur. Qvando qvis nimirum alterius uxorem ſuam eſſe cuperet, moris erat, ut marito procus conditionem denuntiaret, ut, aut certamine ſingulari ſecum confligeret, aut uxorem ſibi concederet. Qvodſi in arenam deſcendere maritus non ſuſtineret, uxor erat provocanti cedenda, qvæ ceſſio ignaviæ infamis notam ſeqvacem marito ſemper impreſſit. Hunc modum acqvirendi matrimonia per monomachiam, qvi, *at ſkora á hólm til kono*, vocabatur, & in Septentrione ad religionis usqve mutationem viguit & legitimus habebatur, ſupra §. *XXII. Not.* 5. tetigimus. Illa conſvetudo creberrima

berrima etsi exemplorum abundet copia, unum tamen alterumve, ne fidem lectoris gratuitam poscere videamur, brevitatis studiosi dabimus. Uxorem sibi cedendam Biörnus Arium postulavit; de qvo vid. *Vit. Gislii Surfonii, Cap. I. Biörn giördi Ara tvo kosti, hvört er hann vill beriast vid hann i hólmi þeim er þar liggr i Svínadal, oc heitir Stocka-hólmr, edr vill hann selia honom i hendor kono sina. Hann qvadst skiótt heldr beriast vilia, enn bædi hann oc kona hanns yrdu at skaumm.* ɔ: *Alternam Ario Biörnus conditionem proposuit; alterutrum nimirum eligere jubet, ut, aut secum in parva Svinadaliæ*, (locus erat Norvegiæ), *insula, qvæ Stocka-holmur dicta, duello dimicaret, aut uxorem sibi emanciparet. Arius illico, certamen suæ & uxoris ignominiæ se prælaturum, respondit.* Eandem ob rationem Samus qvidam a Bialfio fuit lacessitus; teste *Hist. Floamann. Cap. XXXI. Sá madr bió skamt frá þorgilse er Sámr het. Kona hanns het þorfinna. Sá madr var þar i sveit er Biálfe het, oc var uværdarmadr. Hann glapti kono Sáms, oc settiz í bú hanns laungom, enn heitadiz vid bónda: Honom likadi þetta illa. Biálfe baud bónda holmgaungo, ella gefa upp kono sina.* ɔ: *Haud procul a Thorgilso habitavit Samus, qvi uxorem habuit nomine Thorfinnam. Erat in ea tribu Bialfius qvidam, turbulenti vir ingenii, qvi in ædibus Sami hospes gratuitus & invocatus diu hæsit, qvin & matrem familias ad illicitam consvetudinem solicitans, maritum, rem ægrius ferentem, minis terruit, & aut singulari secum pugna digladiari, aut uxorem emancipatam sibi concedere jussit.* Provocato tamen a ium, qvi sua vice cum provocante confligeret, substituere licebat; qvo hic officio vicario cum Thorgilsus fun-



fungeretur, Samus æmulo liberatus eſt. Cæterum non tam de coacta, qvæ ad modos acqvirendi uxorem pertinet, qvam de ultronea uxoris ceſſione hic agitur. Non ſolum uxor legitimis ducta nuptiis, ſed & *foemina viro in matrimonium pacta, alteri ultro concedi poterat.* Biörno Hitdalenſium Athletæ, priusqvam in Norvegiam trajiceret, in matrimonium pacta fuit Oddnya qvædam. In Norvegia autem Biörnus contribuli ſuo Thordo Kolbeini filio annulum tradidit, Oddnyæ a ſe muneri deferendum; de qvo *Vit. Biörni Hitdal. Athl. Cap. III. Mſt.* *Þordr fór vel med erindom Biarnar þat ſinni, oc ſagdi hann koma mundo at vitia ráda-hagſins vid Oddnyo, oc feck henni hringinn, enn qvad Biörn hafa gefit ſer ráda-haginn ef hann andadiz, eda kæmi hann eigi til Iſlands.* ɔ: *Biörni mandata tunc qvidem fideliter executus eſt Thordus, annuloqve Oddnyæ tradito, dixit Biörnum, qvo pacti matrimonii fidem adimpleret, rediturum; ſibi vero hoc matrimonium dediſſe, ſi ipſe vel peregre moreretur, vel in Iſlandiam non redierit.* Ejusmodi autem donatio, niſi patris vel tutoris foeminæ conſenſus accederet, rata fuiſſe non videtur, conf. *Libr. cit. Cap. V.* Qvandoqvidem autem *de matrimonio alienato* & *in alterum translato* ſermonem hic inſtituimus, omittenda non videtur ſpecies conjugii, ut parum triti & vulgaris, ita ſuis in Antiqvitatibus patriæ exemplis non deſtituti. Qvando vir, alienum nomen mutuatus, mulieris procum ageret, deſponſamqve uxorem duceret, eo tantum conſilio & eventu, ut eam, ſibi interim intactam, ubi tempus & locus permiſerint, alteri marito deſtinato conjux perſonatus uxorem traderet. Iſtud *matrimonium vicarium & fiduciarium* non abſurde dixe-

dixeris. Hac ratione Gunnaro Giukungo uxorem Brynhildam Budlii filiam conciliavit Sigurdus Fafnericida. Rem ita *Eddæ* & *Historia Volsungorum*, *Cap. XXXV.* perhibent. Gunnarus, Brynhildam uxorem ambiturus, fratres suos & Gudrunæ sororis maritum Sigurdum comites assumsit. Ubi autem ad Brynhildæ sedes perventum esset, locus igne circumdatus traditur, qvem nemini præter Sigurdum transire licuit. Hic igitur, igne penetrato, ad Brynhildam ingreditur, *Gunnariqve nomen & personam professus, illam uxorem* procatur & *obtinet*. Aliqvot ibi dies moratus, noctuqve communi cum Brynhilda lecto utens, *gladium nudum simul cubantibus interponit*, & miranti hoc Brynhildæ, ut id fieret, vitæ suæ interesse respondet. Ad suos deinde regressus *Brynhildam*, rei per fraudem gestæ ignaram, *Gunnaro*, ut marito destinato, *in matrimonium tradidit*. De hoc dolo qveritur Brynhilda in *Edd. Sæm. Od. Helreid Brynh.*

Svafo víd oc undom	i. e. *Dormiebamur contenti*
i sæng einni	*In uno cubili*,
sem hann minn brodir	*Non secus ac frater*
um borinn væri.	*Meus esset germanus.*
hvartki knátti	*Neutri nostrum*
hönd yfir annat	*Brachiis alterum*
átta nóttom	*Octo noctibus*
occort leggia.	*Amplecti licebat.*

Hæc etiam fuit causa, cur Brynhilda sibi & Sigurdo simul *cremandis nudum interponi gladium* præceperit. Vid. *Edd. Sæm. Od. Sigurdar-qv.*

Liggi occar enn milli	i. e. *Etiam nunc inter nos*
málmr hringvaridr	*Jaceto cinctum metallo*
egghvast járn	*Acutumqve ferrum*,

svâ



ſva endrlagit.	*Ita repoſitum, ac*
þá er vid bædi	*Qvando uterqve*
bed einn ſtigom	*Stratum idem aſcendimus,*
oc hetom þá	*Tumqve dicebamur*
hióna nafni.	*Nomine conjugum.*

Cæterum moris antiqvis fuiſſe videtur, qvando qvis foeminæ, qvam tamen attingere nollet, noctu accumberet, nudum cubantibus enſem interponere. Hoc ſaltem nocturno caſtimoniæ cuſtode uſus traditur Hrolfus Pedes, Ingegerdam in Daniam ſecum perducens; de qvo *Vit. Hrolfi Ped. Cap. XVI. Mſt.* *þau toko náttſtad undir ſkógi einom, oc ſkuto ſer lauſſkála oc láo ſaman bædi, enn leto nakit ſverd î milli ſín.* ↄ: *Forte ſub ſylva qvadam nocturnæ qvietis locum eligebant, ubi caſa ſibi ex arborum ramis raptim excitata, eodem ambo ſtrato utebantur, ita tamen, ut nudus enſis cubantes dirimeret.* Etſi vero Ingegerdam uxorem ſperaret Hrolfus, opinioni tamen temporum & decori obtemperandum fuit, omne ſponſi cum ſponſa ante nuptias corporis commercium infami contumeliæ ducentium; cujus teſtem habemus Saxonem, in *Hiſt. Dan. Libr. V. p.* 89. *Interea Hithinus apud Högnium qvorundam obtrectatione inſimulatus eſt, qvaſi filiam ejus ante ſponſalium ſacra ſtupri illecebris tentaſſet, qvod tunc immane cunctis gentibus facinus habebatur.* Conf. ſupra, §. *XVII. Not* 8. §. *XIIX. Not.* 1. & §. *XX.* Alterum matrimonii vicarii & fiduciarii exemplum *Vita Viglundi Pulchri, Cap. XVI. pag.* 29. 30. ſubminiſtrat. Ob cædes patratas capitis publice reus Viglundus cum patria tantiſper excedere cogeretur, ſuaqve interim Ketilrida a proco incommodo, cujus rebus mater Ketilridæ

impe-

imperiosa studebat, urgeretur, Viglundi patruus Helgius, consilio prius cum amantium patribus clanculum inito, *Thordiqve nomine assumto*, e longinqvo profectus *Ketilridam in matrimonium* poposcit, & patre despondente invitam *obtinuit*, domumqve, ubi nuptias se celebraturum dixit, secum abduxit. Eo perducta Ketilrida uxoris loco in speciem Helgius utebatur, dilatis tamen nuptiis. Tradita enim domestica clavium potestate, in *lecto communi*, sed latiore & *sponda intermedia distincto*, nec sub iisdem stragulis, noctu Ketilrida cubabat. Nempe, si ita fors ferret, ex. gr. in itinere vel hospitio, ut in eodem cum viro cubili nox agenda foeminæ, vel innuptæ vel alteri maritatæ, sine opprobrio id fieri potuit, modo interjectus asser aut sponda cubantes sejungeret. Talis accubatio nocturna nec fraudi fuit Sturlogo Laborioso, Asæ jam marito, & Vefrejæ, de qvibus *Vita Sturl. Lab. Cap. VI. Þá let kerling stock á milli Þeirra, en láu Þó badi á eino bagindi um nóttina, oc áttu tal saman.* ɔ: *Tum jacentibus asserem anus interposuit, ita tamen, ut eidem ambo cervicali incubantes, noctem colloqvio transigerent:* nec Kormaco & Steingerdæ, de qvibus in hospitio fortuito pernoctantibus, habet *Vita Kormaci Mst. Um nóttina hvíldi sino megin bríkar hvart Þeirra,* ɔ: *per noctem juxta cubantes interposita sponda dirimebat.* Duravit autem ante memoratum Helgii & Ketilridæ contubernium, usqve dum *Viglundo* in patriam *reverso Helgius,* exposita fallacia, *Ketilridam* marito destinato *uxorem,* legitimis nuptiis ducendam, *concederet,* (in *Hist. cit. Cap. XIIX. p.* 33.), his inter alia Viglundum alloqvens: *Nú vil ec eigi leyna Þic nafni míno: ec heitir Helgi, oc er ec sonr Eiriks iarls,*

K oc

oc ſva fadir Þinn. Bad ec Því Ketilridar, at ec villda geyma hana handa Þer; er hún oc óſpillt af mer. ɔ: *Nec nomen meum te diutius celabo: Helgius enim dicor, eodem, qvo pater tuus, nempe Erico Comite, patre prognatus. Ketilridæ autem matrimonium eo conſilio ambiebam, ut illam tibi uxorem conſervarem; nec ulla a me corporis conſvetudine illa hactenus eſt temerata.*

§. XXVI.

Diſciſſi a viris matrimonii exemplis refertiſſima eſt hiſtoria borealis (1). Solvebant autem mariti conjugium, I) partim effectu & *uſu* (2), ſi aut uxorem vel ipſi abeundo defererent (3), vel repudiatam ad ſuos dimitterent, nec recipere vellent (4), aut præſenti vel cohabitationem & officia conjugalia denegarent (5), vel novam uxorem publicis nuptiis ſuperinducerent, absqve tamen ſolennitatibus divortiorum legitimis. Qvocunqve hoc modo matrimonium ſolveretur, *divortium uſuarium*, Borealibus, *at láta konu eina* (6), vocabatur. II) Partim ritibus ſolennibus (7) adhibitis uxori repudium renuntiabant, qvod *divortium legitimum*, *at ſegia*

ſkilit

skilit vit konu, apellari consvevit (8). Ad legitima divortia *causæ sonticæ* (9) legibus definitæ reqvirebantur. *Causæ sonticæ divortiorum*, olim *brautgangs-sakir* dictæ (10), fuerunt omnia, sive delicta graviora, sive defectus naturales, qvæ uxorem matrimonio aut indignam aut inhabilem reddere putabantur. In hunc censum venere, adulterium, si vitæ mariti insidiaretur, si liberos vel supposuisset, vel contra mariti mandatum aut alendos e medio sustulisset, aut exponendos clam aluisset, si filiam injussu mariti nuptum dedisset, si sexum vestitu mentita esset; horsum veneficia, sterilitas, senectus, imperiosa morum asperitas, & forte alia referenda sunt (11). In divortiis legitimis, si liberi essent communes, eosqve pater retineret, dotem reddere maritus non tenebatur. Si sterile fuisset conjugium, dos repudiatæ, maxime si ob defectus naturæ, nulliusqve delicti gravioris rea dimitteretur, denegata fuisse non videtur (12). Idem qvoqve de divortiis usuariis valet, nisi qvod causas sonticas de-

 cla-



clarari haud necesse esset; ejusmodi enim uxorum repudia satis freqventia & fere arbitraria olim fuerunt (13).

1) Postqvam uxorem Romæ primus ob sterilitatem Carvilius Ruga dimisisset, eo sensim divertendi licentia excrevit, ut illi Augustus, eumqve secuti Imperatores, latis legibus modum imponere sint coacti. Qva de re & ea, qvæ supra §. 11. attulimus, & longe plura apud illos, qvi de divortiis Romanorum data opera scripserunt, consuli possunt. Inter alios, vid. *S. Pitisc. Lex. Antiqvit. Rom. ad voc. Divortium. Alex. ab Alex. Gen. Dier. Libr. IV. Cap. VIII. p. 953. seqv.* nec non *Heinecc. Antiqvitat. Rom. Libr. I. App. §. XLIV. seqv.* In Septentrione autem qvamvis matrimonia universe satis casta, & adulteria ut infamia ita capitalia olim fuerint, divortia tamen ab omni ævo licita ac usitata fuisse, exemplorum in historiis obvia farrago commonstrat. Ex tanta vero multitudine, ubi res poposcerit, inferius pauca dabuntur.

2) Divortiorum duplex esse genus, ipsa rei natura loqvitur. Si enim in foro publico, ob causas sonticas, ritibus, cærimoniis, & verbis solennibus lege præscriptis solvatur matrimonium, *divortium legitimum*; sin absqve his conjugium inter vivos cesset, *divortium usuarium*, dici debet. Utrumqve Romanis notum fuisse, Ovidius testis: *De Remed. Amor. v. 669. seqv.*

Tutius est, aptumqve magis discedere pace,
Qvam petere a thalamis litigiosa fora.

Ejusmodi divortii meminit Cicero, *de Orat. I. 40. Cum pater familias uxorem prægnantem in provincia reliqvisset, Romæqve alteram duxisset, neqve nuntium*

priori

priori remisisset. Qvin & usuaria ejusmodi divortia cum legitimis eundem valorem habuisse, ex *Caji ad Leg. Juliam de Adult.* verbis satis colligitur: *Si ex lege repudium non sit missum, & iccirco mulier adhuc nupta videatur, tamen siqvis eam uxorem duxerit, adulter non erit.* Boreales qvoqve maritos tacitis his & usuariis divortiis, qvæ dimissæ uxori ad alteras nuptias jus dederint, crebro usos, exemplis mox probatum ibimus.

3) Odus Frejam, qvæ postea Odini vel conjux vel concubina fuit, de qvo supra, §. *XXIV. Not.* 8. *p.* 129. Vanlandius Sveciæ rex Drifam, vid. *Heimskr. T. I. Hist. I. Cap. XVI. p.* 19. Oddus Sagittarius Alvaram, vid. *Vit. Örvar-Oddi, Cap. X.* Asmundus Thoram, vid. *Landn. P. II. Cap. VI. p.* 72. Geirmundus Thuridam, qvæ postea Gudmundo nupsit, vid. *Laxdæla, Cap. XXIX. & XXX.* Skidius Ingveldam, vid. *Svarfdæla. Mst.* aliiqve multi uxores abeundo deseruerunt. Desertio uxoris, qvæ plerumqve contumeliosa & affinitatibus semper ingrata fuit, vel palam fiebat, vel clam & furtim. *Fugitiva* & clandestina uxoris *derelictio*, qvæ, *at blaupaz brót frá kono*, dicebatur, præsertim si ob ignaviam pauperem, uxorem & liberos alere detrectantis fieret, sordida & *infamis* habebatur; poteratqve desertor ad suos sustentandos a magistratu tribuli vel uxoris necessariis adigi. Ejusmodi nebulonem, nomine Asbiörnum Vegghamar, commemorat *Fliótsdæla, Cap. XIV. Mst.*

4) Hanundam repudiatam ad patrem remittere decrevit Frotho III. vid. *Sax. Hist. Dan. Libr. V. p* 81. Alam uxorem cum dote ad suos remisit Hiörleifus Mulierosus, teste *Vita Halfi ejusqve Pugil.* De Visburo



Sveciæ rege tradit *Heimskr. T. I. Hist. I. Cap. XVII. p.* 20. *Visbur geck at eiga dóttur Auda ens Audga. — Enn Visbur let hana eina, oc feck annarar kono; enn hún fór til födur sins med sonu sína.* ɔ: *Visburus Audii Divitis filiam uxorem duxit. — Verum, ea derelicta, aliam thori sociam adscivit Visburus; qvare ad patrem illa rediit, filiis comitata.* Haraldus Pulchric. ducta Ragnhilda, uxores, qvas antea habuit, dimisit; qvæ ad suos cum liberis se contulere. Vid. *Heimskr. T. I. Hist. III. Cap. XXI. pag.* 97. Thorbiörnus Klercus repudiatam Ingigerdam uxorem, patre orbam, ad fratrem Sveinum remisit; qvam frater bene qvidem excepit, insigni tamen contumelia hac re affectus sibi videbatur, vid. *Hist. Orcad. ed. Hafn. p.* 249. De Viga-Skuta habet *Vita Viga-Glumi, ed. Hol. Cap. XVI. pag.* 210. *Glúmr gipte Þorlaugu dóttur sina Viga-Skutu ad Myvatne nordur, oc fyri sakir Þeirra sundurlyndis, Þá let hann hana fara heim til Þverár, oc let hana eina. Þat líkadi Glúmi Þúngt. Sídan bad hennar Arnor Kerlingar-nef, oc átti hana.* ɔ: *Filiam Thorlaugam Viga-Scutæ Myvatnensi uxorem locavit Glumus. Horum vero adeo discors matrimonium fuit, ut uxorem maritus repudiatam ad prædium Thveraa,* (penates paternos), *remiserit; qvæ res Glumum graviter ussit. Illam deinde Arnorus, cognomine Kerlingar-nef, nuptiis ambivit & obtinuit.* Ex qvibus locis liqvet, tum repudium uxoris, ejus cognatis semper ingratum & contumeliæ loco habitum, tum repudiatæ ad alteras nuptias progredi integrum fuisse.

5) Thori consortio si uxorem maritus prohiberet, eo ipso repudium fecisse censebatur, aut saltem uxori divertendi causam & occasionem dedit. Gudruna Olafo Trygvi-

Trygvino nuptiis copulata, regem maritum in thalamo cultro transfodere voluit; qvod præsentiens rex, cultro illi erepto proripuit se stratis. Illa itidem surgens abiit; nec unqvam postea ejusdem cum rege thori particeps facta est. Nempe ipso facto repudiata ad suos rediit, vid. *Heimskr. T. I. Hist. VI. Cap. LXXIIX. p.* 275. Oddnyam uxorem, illicitæ cum Biörno consvetudinis suspectam, lecto geniali maritus prohibuit; res tamen, abeunte Biörno, ad conjugum qvalemcunqve concordiam perducta est, vid. *Vit. Biörni Hitdal. Athl. Cap. XIV. Mst.* Thorkillus uxorem Asgerdam, fidei conjugalis proditæ confessam, in lectum communem admittere cum nollet, illa divortium idcirco legitimum comminabatur. Qvod audiens maritus iram paulatim remisit, affinitatum simultates & dotis jacturam haud dubie veritus; vid. *Vit. Gisli Surfonii, Cap. IX. p.* 131.

6) Sic vocatum olim fuisse uxoris repudium, usurpando factum, docet *Heimskr. Tom. I. Hist. I. Cap. XVII. p.* 20. *&* *T. I. Hist. VI. Cap. XLIX. p.* 245. *&* *T. III. Hist. XII. Cap. XXXIX. p.* 291. nec non *Vit. Viga-Glumi, Cap. XVI. p.* 210. & *Laxdæla, Cap. XXXV. Mst.*

7) Solennes legitime divertendi ritus & Romanis & Borealibus olim fuerunt. Apud Romanos antiqvissima fuit *diffarreatio*, qvæ, teste Festo, *Libr. IV. genus erat sacrificii, qvo inter virum & mulierem fiebat dissolutio. Dicta diffarreatio, qvod fiebat farreo libo adhibito.* Conf. *S. Pitisci Antiqvit. Rom. ad voc. Diffarreatio*; nec non *Alex. ab Al. Dier. Gen. Libr. II. Cap. V. p.* 281. Hoc sacrificium triste admodum & mali ominis, inqve illo multos ritus & cærimonias

 tristio-



triſtiores adhiberi ſolitas fuiſſe, ex Plutarcho probat Heineccius, *Antiqvit. Rom. Libr. I. App. §. XLVII.* Ubi autem iſta diffarreatio in deſvetudinem abiit, matrimonia *remancipando* ſolvebantur. Hæc ipſa remancipatio ſuas habuit cærimonias. Nempe ſolebant 1) tabulæ dotales confringi; 2) claves adimi; 3) dici ſolennia verba, hæc ſcilicet: *res tuas tibi habeto*, vel, *res tuas tibi agito*; eademqve 4) per libertum pronuntiari, juxta illud Juvenalis, *Sat. IV. v. 145.*

Collige ſarcinulas, dicet libertus, & exi;

vel 5) per nuntium miſſum conjugi notificari. Deniqve Auguſtus, ut divortiis modum ſtatueret, *Lege Julia* cavit, ut 6) divortium fieret, adhibitis præter libertum ſeptem teſtibus, civibus romanis puberibus; alias pro irrito haberetur. Vid. *Heinecc. Antiqvitat. Rom. Libr. I. App. §. XLIIX.* Borealium autem divertendi ritus ſi cum his conferas, nullum qvidem diffarreationis veſtigium invenies. Illud autem univerſe de ſacrificiis Borealium obſervandum venit, qvod parcam admodum & mancam eorum notitiam nobis relinqvant monumenta patria; eamqve maxime ob cauſam, qvod, ſi qvasdam Eddæ Sæmundianæ Odas exceperis, ab ethnicis temporibus nihil nobis ſuperſit ſcriptum. Unde factum, ut qvicqvid de religioſis præſertim majorum ethnicorum ritibus nobis nunc conſtat, a Chriſtianis ſcriptoribus ſit profectum, qvibus paganæ religionis myſteria, & parum cognita, & adeo odioſa fuerunt, ut illa deſcribere rem piaculo dignam exiſtimarent, & hæc omnia abominando magiæ diabolicæ, æternis merito damnandæ tenebris, nomine, *(forneſkia)*, traducerent. Hæc fata ſi Romanorum

norum Græcorumve Antiqvitates, patriis, ut ego qvidem opinor, non admodum vel ſapientiores, vel magis aut piæ, aut ſcitu nobis neceſſariæ, habuiſſent, multis magnisqve & impendioſis eruditionis antiqvariæ voluminibus orbis nunc literatus careret. Verum nec tabulis dotalibus confringendis, qvæ temporibus ethnicis, qvibus omnia pactorum & conventionum genera ſola teſtium memoria ſervari oportuit, nullæ fuerunt, nec libertorum in divortiis miniſterio uſos unqvam Boreales comperio. Claves autem, ut intra nuptiarum auſpicia traditas, ita in divortiis redhibitas fuiſſe, qvis dubitet? vid. *ſupr.* §. *XXIII. Not.* 2. & 3. Verum hoc magis pro effectu, qvi diſpenſationem uxoris domeſticam & penuariam ſublatam ac ceſſantem non potuit non ſeqvi, qvam pro ritu vel cærimonia divortiorum apud Boreales olim habitum credimus. *Tres* igitur tantum legitime *divertendi ritus*, a Borealibus obſervari ſolitos, compertos habemus. Fuerunt autem illi: 1) Solennis *divortiorum formula*, 2) *locus*, in qvo pronuntiari debebat, 3) *teſtes nuncupati.* Hæc tria nos docet auctor Nialæ, rituum & formularum legis patriæ ſatis ſedulus obſervator. Nimirum Mördus filiam Unnam hunc, qvo a marito Ruto, ne qvam ſcilicet, ubi in formulis parum caviſſet, exceptioni aut cavillationi, repoſcendæ doti interventuræ, daret locum, legitime diverteret, modum docuit. Vid. *Niala, Cap. VII. ed. Hafn. p.* 14. *Þá ſkallt þú gánga til hvílo þinnar oc þeir menn med þer ſem forunautar þínir eru. Þu ſkallt nefna vatta biá hvílu búanda þíns, oc ſegia ſkilit vid hann laga-ſkilnadi, ſva ſem framaſt má at alþíngis máli oc allzheriar lögum. Slika vattnefno ſkallt þú hafa fyrir karl-*

 dyrum.



dyrum. ɔ: *Tunc cubile tuum adito, viris, qvi tecum abibunt, comitata. Ibi tu ante lectum mariti testes nuncupato, legitimumqve ac accuratissimæ atqve in universalibus populi comitiis valituræ juris patrii normæ congruum, divortium marito renuntiato. Eadem ante fores marium coram testibus nuncupatis pronuntiato.* De Unna porro, ad patrem in comitiis tunc versantem delata, idem porro auctor, *l. & cap. cit.* perhibet: *hon geck til lögbergs, oc sagdi skilit vid Rút.* ɔ: *Illa rupem judicialem,* (locum judicii publici), *adiens, Ruto divortium palam renuntiabat.* Tria igitur hic sunt observata. Nempe, 1) *verba concepta*, sine qvibus nihil, qvod actioni legis subesset, peragebant veteres Boreales; vid. *supr. §. XV. Not.* 10. Formula hæc divertendi, qvantum ex loco allato colligitur, his verbis constitisse videtur: *Ec N. segi skilit vit N. laga-skilnadi,* ɔ, *ego N.* (marito v. uxori) *N. legitimum divortium renuntio;* sive, qvod eodem recidit: *ego N.* (maritum v. uxorem), *res suas sibi agere legitime jubeo.* 2) Tribus porro *locis* pronuntiare divertendi formulam, filiæ Mördus præcipit; nimirum, a) *ante thorum genialem,* b) *ante fores* ædium *principes,* & c) *in foro,* s. conventu populi publico; conf. *Niala, Cap. XXIV.* Hanc loci observationem etsi in divortiis renuntiandis non habuerint Romani, eorum tamen in adoptatione ritus similes reperio. Adoptationem enim, qvæ alias apud prætorem aut magistratum qvemcunqve, apud qvem legis actio erat, fieri solebat, (vid. *Gell. Noct. Att. V.* 19.), etiam non tantum in templo, verum etiam in cubiculo *ante thorum genialem* fieri sveviste docet Plinius, *Paneg. VIII. Itaqve non tua in cubiculo, sed in templo; nec ante genialem thorum,*

thorum, sed ante pulvinar Jovis Opt. Max. adoptatio peracta est. Lecti autem geniales in atrio ex adverso forium, unde adversi dicti, sternebantur; qvod ex verbis Horatii, *Libr. I. Epistol. I. v.* 87. *Lectus genialis in aula est*, qvidam probant. Unde ritus divortia ante fores renuntiandi antiqvam originem qvis deduxerit. Cæterum fores ædium in prædiis rusticis primariæ, posticas enim plures habuerunt, apud priscos Boreales binæ fuerunt; per qvarum unas matri familias ac foeminis nobilioribus ac ingenuis, per alteras maribus, hospitibus, & famulitio introitus patebat; unde illæ *kvendyr (fores foeminarum)*, hæ *karldyr (fores marium)*, nuncupatæ sunt: hæ autem fores ædium principes fuere. Observatio igitur locorum inter Romanos & Boreales in re, uti non prorsus eadem, ita nec omni ex parte diversa, (adoptatio enim non secus ac divortium ad matrimonia refertur), cognationis plusqvam fortuitæ non nihil habere videtur. In *loco judicii* publici, atqve adeo in comitiis populi, divortia olim legitima renuntiari sveviffe, docet insuper exemplum Thordi ex Laxdæla, *Cap. XXXV.* superius allatum. Verum tria hæc renuntiandi matrimonii loca non semper observata fuerunt: satisqve legitime renuntiatum matrimonium interdum est visum, si, aut domi ante lectum mariti, (conf. *Fliótsdæla, Cap. XXIX.* & *Laxdæla, Cap. XIX.*), aut in comitiis communibus & superioribus, qvod Unna & Thordus fecere, aut in comitiis tribulibus & inferioribus, (conf. *Laxdæla, Cap. XXXIV. & XXXV.*), facta esset divortii renuntiatio. 3) *Testes* qvoqve in divortiis legitimis *nuncupatos* esse, loca supra citt. docent, in qvibus fere semper recurrit: *bánni, (bon), nefndi*



uefndi fer votta, oc fagdi fkilit vit N. ɔ: *Ille (illa) nuncupatis teftibus uxori (marito) divortium publice renuntiavit.* De his vero divortiorum ritibus id deniqve obfervandum eft, eosdem adhibitos olim fuiffe, five maritus ab uxore, five a marito uxor diverteret.

8) Divortia publice & ritibus adhibitis renuntiata fic olim vocata fuiffe, omnia, qvæ de divortiis legi ime renuntiatis vel fupra allata funt, vel inferius afferentur, loca infpecta monftrabunt.

9) De juftis five *fonticis divertendi caufis* apud Romanos notum eft illud Nævii: *Sonticam effe oportet caufam, propter qvam perdas mulierem.* Qvasdam earum, ob qvas legitime dimitti uxor poffit, caufarum, fupra §. *II. Not.* 3. recenfuimus; qvibus hic addimus, fterilitatem, juxta Carvilii exemplum, & illud Varronis, ap. *Non. II.* 73. *A fe annos multos qvod parere non poffet, foras eam betere juffit;* fimultates cum focru, morum perverfitatem, impudicitiam. Vid. *Heinecc. Antiqvit. Rom. Libr. I. App. §. XLV.*

10) Voces, *brautgångr* pro divortio, & *brautgångs fauk* pro fontica divortii caufa, fumtas, vid. *Laxdæla, Cap. XXXIV. & XXXV.*

11) Tanta divertendi licentia maritis præfertim fuit, ut uxorum repudia fere effent arbitraria, eaqve divortia pro legitimis haberentur, qvæ rite & publice effent renuntiata. Nec mirum igitur, fi *ob defectus naturæ*, ex. gr. fenectutem, fterilitatem, & imbecillitatem uxoris, folvi conjugium potuerit. Qvodfi enim ob impotentiam naturalem uxor a marito, qvod Unna fecit, divertere potuit, idem etiam ob eandem caufam marito in uxorem licuiffe nullum eft dubium.

Omnia

Omnia porro *flagitia* & crimina *alias capitalia* juſtas uxoris repudiandæ cauſas fuiſſe, cuivis planum & perſpicuum. Uxorem *ob adulterium* Frotho III, *ob vitam mariti attentatam* Hiörleifus Mulieroſus, eandemqve ob cauſam Gudrunam repudiavit Olafus Trygvii f. Vid. *Heimskr. T. I. Hiſt. VI. Cap. LXXIIX. pag.* 275. Uxori Ingigerdæ, *ut* ejus fratri Sveino *injuriam reponeret*, Thorbiörnus Klercus, vid. *Hiſt. Orc. p.* 248. *Uxori* Thorhildæ, *in ſe* garrule *procaci* Thrainus, ubi tamen loci legitimi parum habita ratio, vid. *Niala, Cap. XXXIV. ed. Hafn. pag.* 50. Uxori Audæ *ob veſtitum virilem* Thordus Ingunæ f. eo qvod braccis inſtar virorum uteretur, qvod legitima divortii habebatur cauſa, teſte *Laxdæla, Cap. XXXV.* divortium palam renuntiarunt. *Ob hoſpitum* domi *freqventiam* ab uxore Thora divertit Aſmundus, vid. *Landn. P. II. Cap. VI. p.* 72. *Ob mutuam diſcordiam* cum uxore Thorlauga Viga-Skuta, *ob imparitatem conditionis* & natalium Ragnarus Lodbrochius, Haraldus Pulcricomus, Haraldus Grænſkius, cum uxoribus aut divortium fecerunt, aut facere ſaltim cogitarunt; de qvibus ſupra. *Ob diverſa ſacra & ſenectutem* Sigridam Imperioſam, in matrimonium ſibi pactam, repudiavit Olafus Trygvii f. vid. *Heimskr. T. I. Hiſt. VI. Cap. LXVI. & LXIIX. p.* 264. & 266. Uxori Thordiſæ, *ſi morem mandatis non gereret*, & Gunnarum Thidrandicidam ſe abſente hoſtibus proderet, repudium minabatur Helgius Asbiörni filius. Vid. *Fliótsdæla, Cap. XX* Hinc ob paritatem rationis ſatis prone fluit, uxores, qvæ injuſſu maritorum filias elocaſſent, liberosve ſuppoſuiſſent, aut contra viri mandatum vel alendos expoſuiſſent, vel

expo-



exponendos aluissent, utpote *mariti dominio immorigeras* & contumaces, jus ad divortium maritis fecisse; qvorsum etiam spectabant Thorsteini & Asbiörni in uxores minæ, supra §. *XXIII. Not.* 5. nobis memoratæ. His eqvidem omnibus uxorum repudiis ritus solennes non semper adhibitos fatemur; verum ubi de causis divortiorum sonticis agebatur, parum intererat rituum. Haud graviores enim divortia legitima solvendi matrimonii causas interdum habebant, qvam repudia sine ritibus facta. Ritus solennes ideo tantum adhibiti videntur, ut repudium, aut eo acrius, qvo solennius & manifestius, uxorem ejusve cognatos pungeret, aut, si ob flagitia uxor dimitteretur, dotis retinendæ jus haberent mariti; non nunqvam forte etiam repudium palam renuntiantem causæ sonticæ simul declaratæ publice excusabant. Hanc certe ob rationem Thordus Ingunæ f. cum in comitiis Audæ uxori divortium renuntiaret, causam qvoqve divortii propalam exposuit. Vid. *Laxd. Cap. XXXV.*

12) De conventionibus sponsaliorum pecuniariis supra, §. *XIII. & XIV.* agentes, eas duplices fuisse monstravimus; nempe vel dotem uxoris profectitiam cum stipulato dotis augmento, vel dimidiam bonorum communium partem, matrimonio aut per mortem alterutrius conjugis, aut per divortium soluto, maritus reddere debebat. Utraqve conditio in nuptiis Ruti stipulata fuit, vid. *Niala, Cap. II. p.* 3. *Mördr svaradi: hugsat hefi ec kostin. Hún skal hafa LX hundrada, oc skal aukaz þridiungi í þinum gardi; en ef þit eigit erfingia, þá skal helmíngar-felag med yckr.* ɔ: *Regessit Mördus: conditionem jam animo definivi. Sexaginta hundradas,* (CCXL imperiales), *habebit, qvibus*

bus ſub tua manu tantum accedet, qvantum eſt dotis profectitiæ dimidium. Sin vero liberos habueritis, bona communia conjuges ex æqvo ſortiemini. Poſterior tamen conditio uſitatiſſima fuit; ut in nuptiis Glumi, vid. *Niala, Cap. XIII. Sidan voru vird ſe Hallgerdar, oc ſkyldi Glúmr leggia i móti iamn-mikit, oc ſkyldi vera helmingar-felag med þeim.* ɔ: *Bona Halgerdæ tunc æſtimata fuerunt, tantundemqve ex ſuis in rem communem conjugum Glumus conferre debebat; adeoqve bona communia inter conjuges ex æqvo dividua ſtipulati ſunt.* Oddnyam Biörno uxorem cum paciſceretur Sculius, tantundem ex ſuis in rem conjugum ſe erogaturum ſpoſpondit, qvantum non modo Oddnyæ doti profectitiæ, ſed & hæreditati, qvæ ſperabatur, paternæ reſponderet; vid. *Vit. Biörni Hitdal. Athl. Cap. II. Mſt.* Verum temperare mihi non poſſum, qvin Julii Cæſaris de Gallorum priſcorum matrimoniis verba hic interferam. Vid. *Bell. Gall. VI.* 19. *Viri qvantas pecunias ab uxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex ſuis bonis æſtimatione facta cum dotibus communicant. Hujus omnis pecuniæ conjunctim ratio habetur, fructusqve ſervantur. Uter eorum vita ſuperarit, ad eum pars utriusqve cum fructibus ſuperiorum temporum pervenit.* Hæc Gallorum matrimonia, vel nato Servatore antiqviora, adeo Borealium conjugiis conveniunt, ut rem magis eandem qvam ſimilem merito dixeris. Hic enim 1) bona nubentium inter auſpicia matrimonii facta æſtimatione utrinqve æqvaliter in rem communem collata; hic 2) dotem profectitiam ab uxoribus datam, & 3) dotem addititiam, ſive ſtipulatum dotis incrementum, *(tilgiöf)*, pro uſu fructu dotis profectitiæ, ſimul cum

ipſa



ipsa dote, soluto matrimonio, reddendum, qvilibet recognoscit. De dotis igitur profectitiæ in Evropa antiqvitate cum Tacito vix est qvod disputetur. De priscis qvidem Borealibus res dubiis est exemta, vid. supra, §. *XIV*. Seculo enim nono, qvo vergente novi coloni, pleriqve ex Norvegia, qvidam ex Dania & Svecia, multi ex Hibernia, Scotia & Orcadibus in Islandiam commigrarunt, sponsalitia hæc stipulatio adeo recepta fuit, ut cum plurima matrimonia Landnama memoret, expressam plerisqve dotis profectitiæ, *(heimanfylgia)*, mentionem adjiciat. Novos autem hos Islandiæ colonos, anteqvam in legem Ulfliotianam consentirent, terrarum, unde exierant, instituta & ritus retinuisse, notissimum est. Ad institutum revertimur. Interdum ex parte sponsæ pater aut tutor stipulabatur partem bonorum mariti dimidiam, etsi sponsa parum aut nihil dotis ad matrimonium contulisset; qva conditione, vel ob imparitatem natalium, vel amoris impatientiam, subinde sponsus acqvievit. Hoc pacto Droplöga Halfteino, vid. *Fliótsdæla, Cap. XXIII.* & Gudruna Thorvaldo nupsit, illamqve conditionem Thorvaldus facto divortio implere, & dimidiam bonorum partem uxori a se divertenti cedere coactus est; vid. *Laxdæla, Cap. XXXIV.* Illud vero & Romani & Boreales circa matrimonia & dotem, uxori post divortium reddendam vel non reddendam, ex legibus & institutis patriis observasse videntur, ut, *si matrimonium legitimum* & æqvale, *ac liberi communes* essent, uxorqve vel a viro ob causas fonticas, nempe flagitia, ex. gr. adulterium, veneficium, insidias mariti aut liberorum vitæ structas, &c. repudiaretur, vel ipsa temere & absqve mariti culpa aut divor-

divortii causa sontica diverteret, *liberi* legitimi *patrem secuti* sunt, *&* *dos*, uxori negata, pro liberis alendis *apud patrem* jure *manebat*. *Sin* vero *illegitimum* esset *conjugium*, sive inæqvale, ut inter principem & privatam, ingenuum & servam, sive vel citra consensum patris aut justi tutoris, vel absqve sponsaliis aut nuptiis viro foemina consveviſſet, *liberi* inde nati illegitimi, & vel naturales vel nothi erant, *matremqve seqvebantur*; *dos* autem, ut in nuptiis nulla data, ita *nec ulla* post repudium foeminæ *reddita*. *Si sterile* esset *matrimonium*, uxori ob flagitia repudiatæ, aut temere & sine culpa viri divertenti, vel si uxor suopte divertens & ritus divertendi solennes adhibens qvid peccasset, a marito *dos negari potuit*. *Extra hos casus ad dotem* in sponsaliis stipulatam uxori sive repudiatæ, sive sponte divertenti, *reddendam adigi maritus* jure *poterat*. De conjugiis illegitimis cum Romanorum tum Borealium, in qvibus & conjuges nullam maritis dotem profectitiam afferebant & liberi inde nati, qvi matrem seqvebantur, tam dotis maternæ, nempe profectitiæ, qvæ nulla erat, hæreditandæ, qvam hæreditatis paternæ, nisi legitimarentur, exsortes fuerunt, supra §. *XIIX. Not*. 2. & §. *XIX. Not*. 1. 2. *&* 5. diximus. Qvod autem Romani uxoribus illegitimis post repudium nullam de bonis mariti partem, & liberis ex tali conjugio natis nullam patris hæreditatem tribuerint, docent verba Ciceronis, *ad Treban. Top. c*. 4. *Si mulier, cum fuisset nupta cum eo, qvicum connubium non esset, nuntium remisit, qvoniam qvi nati sunt, patrem non seqvuntur, pro liberis manere nihil oportet*. Qvid autem de uxore legitime ducta, & a viro divertente, ejusqve liberis

 sen-



senserint Romani, patet ex verbis Ciceronis, *Libr. & Cap. citt. Si viri culpa factum est divortium, & si mulier nuntium remisit, tamen pro liberis manere nihil oportet.* Luculenta sunt illa Ciceronis loca, ex qvibus colligo: 1) ex conjugio illegitimo nati, post repudium matrem seqvebantur; ex legitimo autem matrimonio procreati liberi, post divortium patrem sunt secuti. 2) Si uxor legitime ducta diverteret culpa mariti, liberos pater, nevtiqvam vero dotem retinere potuit. 3) Si nulla mariti culpa fieret divortium, aliqvid pro liberis apud patrem manere oportebat; adeoqve uxori, aut ob flagitia repudiatæ, aut temere & sine causa sontica nuntium marito remittenti, dos vel integra, vel aliqva ejus pars negabatur. Uxores autem Romanorum, ob delicta graviora repudiatas, dote spoliari a maritis potuisse, Titinnii exemplo monstrat Heineccius, *Antiqv. Rom. Libr. I. App. §. XLV.* Ad Boreales ut redeamus, qvin uxores, ob scelera capitis & repudii reæ, dotem, vel liberis communibus, matris qvippe hæredibus, vel marito læso debitam, amiserint, dubitari neqvit; nec historicis in re tam manifesta argumentis est opus. Uxoris legitime ductæ, Hallæ Lytingi filiæ, suopte sed nulla mariti culpa a se divertentis, liberos & dotem, fratre Hallæ Geitero invito, & dotem sororis frustra reposcente negariqve frendente, retinuit Brodd-Helgius, vid. *Vit. Vapnfiordens. Cap. VI. Mst.* Uxori Vigdisæ a se divertenti omnem bonorum partem denegavit Thordus Goddius, eo qvod nulla sua culpa, sed temere & absqve causa sontica divortium sibi renuntiasset; horum autem matrimonium fuit sterile, vid. *Laxdæla, Cap. XIX.* Uxoris Unnæ, qvæ divortium solen-

ſolenniter renuntiaverat, dotem poſcenti primum ſocero Mördo, eo qvod faſtuoſe & avare ſecum actum ſentiebat, oblata monomachia, qvæ ultima litium arbitra omnem legis actionem infregit & ſuſpendit, reddere recuſavit Rutus; improle etiam illud matrimonium fuit, vid. *Niala, Cap. VIII.* Eandem denuo poſtulanti Gunnaro, qvod divortii locis legitimis ſibi renuntiati, teſtes producere non poſſet iterum denegavit: verum propria arte refutatus, oblata monomachia, invitus tandem ſolvere coactus eſt; vid. *Niala, Cap. XXIV.* Alias a matrimonio ſterili divertentibus uxoribus, modo vel repudiatæ nullius delicti gravioris convinci poſſent, vel ob culpam mariti & cauſas ſonticas divortium ipſæ renuntiaſſent, dotis loco dimidia plerumqve bonorum pars a maritis exigi dariqve ſolebat. Dotem repoſcere tutor & cognati uxoris divertentis debebant, qvod, *at giöra fiärſkipti med hiónom*, ɔ: *bona communia inter conjuges divertentes partiri*, vocabatur; vid. *Fliótsdæla, Cap. XXIX. Laxdæla, Cap. XIX. XXXIV. XXXV. Niala, Cap. CLI. Vit. Giſlii Surſon, Cap. IX. ed. Hol. p.* 138. qvo poſtremo loco, uti & in *Vita Kormaci*, vox, *mundr*, dotem adtititiam ſolam, & a profectitia diſtinctam, ſignificare reperitur. Conf. *ſupr. §. XIII. Not.* 8.

13) In divortiis uſu, nimirum absqve ritibus ſolennibus factis, qvæ freqventiſſima fuiſſe ſupra monſtravimus, niſi vel ſceleſta repudiaretur, vel temere & absqve culpa mariti uxor diverteret, dotem reddidere mariti, maxime ſi ſterile conjugium fuiſſet. Si autem liberos communes aleret pater, nulla dos reddebatur; ſin matri alendos relinqveret, dos qvoqve, & inſuper de

 bonis

bonis mariti pecunia pro liberis apud uxorem manere oportebat. Hanc etiam Geirmundus, ab uxore Gudruna diverſurus, pecuniam cum filia communi relinqvendam obtulit, vid. *Laxdæla, Cap. XXIX.* Hinc Thorgilſus, cum uxorem ſuam Thorſteino in matrimonium dediſſet, qvod ſine prævio divortio fieri non potuit, prædia qvædam hæreditaria, qvæ in Norvegia poſſidebat, pro filio Thorleiko, qvi matrem ſeqvi debebat, Thorſteino ſimul tradidit; vid. *Hiſt. Flóamann. Cap. XVII.* Secus autem in caſu ſimili fecit Auguſtus Imperator, qvi prægnantem Liviam, deſpondente marito Tiberio, duxerat, filium, ut primum natus eſſet, patri Tiberio remiſit, teſte Dione.

§. XXVII.

Non viris ſolum, ſed & *uxoribus* in Septentrione olim *divertendi fuit facultas;* nec ſecus illæ qvam mariti ſolvendi matrimonii cauſas habebant, poterantqve *matrimonium diſcindere*, vel *ritibus divortiorum adhibitis*, vel *absqve his maritum deſerendo* (1). Diſcedendi cauſæ uxoribus vel *legitimæ*, aut jure ſaltem conſvetudinario receptæ, vel *æqvæ* fuerunt. Illæ vel apud maritum erant, vel apud diſcedentem uxorem. Ad priores referas

feras, si maritus diversis sacris uteretur (2), si officia conjugalia uxori vel denegaret (3) vel præstare non posset (4), si vestitu muliebri probrosum se redderet (5), si contumeliose & non pro dignitate matris familias uxorem tractaret, & alia (6). Causa discedendi legitima a parte uxoris habebatur, si ob senectutem aut valetudinem dispensationi domesticæ non amplius sufficeret; tum enim *claves abdicare* & *connubium deprecari* uxori licebat, qvod, *at beidast úr búi*, olim vocabatur (7). Pro æqvis discedendi causis existimabantur: thori coactio patris aut tutoris imperio facta (8), senectus mariti (9), ejusdem ignavia uxori ignominiosa (10), pellicis imperiosæ fastidium, auxilium necessariis vel amicis negatum, & forte alia (11). Nevtiqvam tamen uxoribus tanta, qvanta maritis, divertendi licenria fuit; si enim temere & absqve causa sontica maritum uxor deseruisset, aut in solennibus divortiorum ritibus, si hi adhiberentur, parum cavisset, vel dote privari (12), vel a marito reposci & invita retrahi poterat (13).



1) Etſi dotem uxoribus vel ob cauſas ſonticas repudiatis, (vid. *Laxdæla*, *Cap. XXXV.*), vel absqve ritibus divertendi legitimis maritum ſuopte deſerentibus, cujus exemplum Sigrida Imperioſa, Ericum Sveciæ regem, & Thyra Buriſlafum Vandal. reg. derelinqventes dederunt, interdum reddiderint mariti, divortium tamen publice & nuncupatis teſtibus, priusqvam diſcederent, viris, ubi tempus locusqve patiebantur, renuntiare ſolebant uxores, præſertim ſi dotem jure repoſcendam & reddendam ſperarent. Unde filiam Unnam, priusqvam a Ruto diverteret. ſolennes divertendi ritus docuit, & omnes accuratiſſime obſervare juſſit Mördus, neqvam ſcilicet; ſiqvid in his formulis deliqviſſet, ubi dos repoſceretur, cavillandi illinc & excipiendi occaſionem Rutus aucuparetur, vid. *Niala, Cap. VII.* His igitur ritibus adhibitis Unna Ruto, Thordiſa Börko, Vigdiſa Thordo, Gudruna Thorvaldo, Steingerda Holm-Berſio, Ranveiga Thorgrimo, aliæqve aliis maritis divortium renuntiabant. Sine ſolenni autem hac & publica divortii renuntiatione maritos deſeruere Scadia Niördum, Thyra Buriſlafum, Thora Skiöldum, Sigrida Rögnvaldum, & aliæ; de qvibus infra pluribus.

2) *Effectus matrimonii*, ſive per confarreationem ſive coëmtionem initi, vel maxime princeps, apud Romanos fuit *ſacrorum communio*. Unde Romulus mulierem viro nuptam participem eſſe voluit omnium bonorum & ſacrorum; vid. *Dion. Hal. Libr. II.* Et Modeſtinus, *Lib. I. Nuptiæ ſunt conjunctio maris & foeminæ, conſortium omnis vitæ, divini & humani juris communicatio. Sacra* vero *Romanorum* vel *publica* vel *privata* fuerunt. Illorum ante nuptias, horum per nuptias

nuptias uxor fiebat particeps, & in ſacra viri tranſire dicebatur; conf. *Heinecc. Antiqvit. Rom. I.* 10. 14. Exinde patet, matrimonium romanum inter contrariæ aut diverſæ religionis conjuges conſiſtere neqviiſſe. Hæc etiam fuit ratio, cur nullum, niſi cum cive, matrimonium Romanis fuerit licitum. Nec nullam horum ſimilitudinem priſca Borealium inſtituta referunt. Præter enim fana ſive templa deorum publica & communia, habuerunt domi ſuæ ſacella ſive lararia; qvale illud Thorſteini, vid. *Hiſt. Hördi & Holm. Cap. XXXVII. p.* 122. & Borſii, vid. *Fliótsdæla, Cap. XXVI.* qvorum nevter erat tribulium prætor ſive pontifex *(gode)*, ſed ambo privatæ ſortis homines. Utiqve igitur *Borealibus* cum *publica*, tum domeſtica *& privata ſacra* fuere; utrum autem Borealium uxores ſacrorum mariti privatorum conſortes jure matrimonii neceſſario factæ ſint, nec ne, non definio. Hoc certum, *inominata* olim habita *matrimonia*, a diverſæ religionis hominibus contracta. Ingibiarga ethnica ſuas nuptias ambienti Halfredo Poëtæ reſpondit: *Margt er í því úliklegt; en ei ſe ec ſyrir allri virdingu þar um: þú ert madr ſkírdr oc útlendr, en her ero blót mikil, oc mano menn ecki þola, at þú haldir vid þann ſid, er þú hefr iátat; en i annann ſtad viſt, at þer dugi ei vel, ef þú fellir nidur þann átrúnad.* ɔ: *Multis parum probandis rebus iſtud negotium obſidetur: tu homo baptizatus & peregrinus, loci autem bujus incolæ, ethnicis ſacrificiis impenſe dediti, ſacrorum, qvæ tu profiteris, nec ſine certo imminentis mali periculo abjicies, copiam tibi & culturam non ſunt permiſſuri*; vid. *Hiſt. Ol. Trygv. ed. Scalb. P. II. Cap. XXXI. p.* 131. Nec vanum fuit mulieris præſagium;

 vid.



vid. *l. c. pag* 131. & 132. Opinionom temporum testatur porro Menglada ethnica, qvæ Ormo, viro christiano, sibi qvamvis alias perqvam accepto, propter diversa sacra nubere nolebat; vid. *Hist. Ol. Trygv. ed. Scalb. App. p.* 15. *Mer ertú vel i þocka, þó at vid megom ei niótaz sakir trúar þinnar.* ɔ: *Te animo satis carum habeo; mutuo autem connubio frui, diversa, qvæ colis, sacra prohibent.* Nec alia magis prægnans ratio fuit, cur Jötnorum connubia olim abominati sint Boreales, qvam ista sacrorum diversitas: Jötnorum enim gens Odinianam religionem semper aversata fuisse videtur; conf. §. *XXI. Not.* 7. & 8. Itaqve minime mirum, si *diversa sacra inter causas* divortii *fonticas* olim habuerint Boreales. Hinc Sigrida qvædam, cum ad religionem, qvo damna conscientiæ sarciret, christianam amplectendam peregre proficisci vellet, maritum Rögnvaldum, mutandæ sedis & religionis patriæ haud perinde cupidum deseruit, vid. *Hist. Ol. Trygv. ed. Scalb. P. II. Cap. XX. p.* 69. Ob diversa sacra Burislafum Vandal. regem, ad cujus thalamum a fratre Sveino Biberbi Dan. R. ob rationes politicas coacta fuerat, Thyra dereliqvit. Eandem ob causam Sigridam Imperiosam, sibi pactam uxorem, Olafus Trygvinus N. R. repudiavit; vid. *Heimskr. T. I. Hist VI. Cap. LXIIX. p.* 268. & *Cap. XCIX.* & *C. p.* 298 299.

3) Marito Thorkillo, *thori consortium* sibi *neganti*, divortium legitimum comminata est Asgerda, vid. *Vit. Gislii Surson, Cap. IX. p.* 138. *Eigi man, ec leingi þæfaz til hvílunnar vid þik, oc um tvo kosti áttu ad velia: sá er annar, at þú tak vid mer, oc lát sem ecki hafi íordit; annars man-ek nefna mer votta nú þegar,* oc

oc fegia fkilit vid þik, oc man ec láta födur minn heimta mund minn oc heiman-fylgiu, oc man þat þá koftur, at þú hafir allrei hvílo-þraung af mer fidan. ɔ: *Qvo mihi thori copia fiat, haud diu te fatigabo: ex duabus, qvas tibi facio, conditionibus, utram libet eligito: aut enim tu me recipito, eorum, qvæ inciderint, immemor; aut ego, nuncupatis ilicet teftibus, legitimum tibi divortium renuntiabo, dotemqve, tam profectitiam, qvam adjectitiam a te repofcendam patri meo mandabo. Et fic qvidem obtinebis, ut tibi per me nunqvam deinceps lectus fiat anguftior.*

4) Propter *phyficas* id genus *rationes* & obftacula naturæ legitimum divortium Unna Ruto renuntiavit; vid. *Niala, Cap. VII.*

5) *Sexum veftitu mentiri* non probrofum modo fed & capitale prifcis Borealibus habebatur. Idem etiam inter conjuges *jufta divertendi caufa* fuit; vid. *Laxd. Cap. XXXV. Si foemina inftar virorum braccis utitur, aut vir pectus adeo aperit, ut nudas papillas vulgo confpicuas præbeat; utrumqve fontica divortii caufa.* Miror horrido maritali fupercilio ufum videri C. Sulpitium Gallum, qvi uxorem dimifit, qvod eam capite aperto foris verfatam cognoverat, (vid. *Val. Max. VI.* 3. 10.), cum repudiari ab uxore maritum voluerint Boreales, fi pectus & papillas foris aperiret.

6) Poteftati maritorum in uxores contumaces, impudicas, aut aliis criminibus deditas, olim rigidiffimum fuit dominium, ita ifthoc imperio, qvod leges dedere, in innocentes abuti, perqvam illiberale & indolis abjectæ indicium exiftimabatur. Olim apud Boreales, perinde ac femper & ubiqve, qvo qvis civis melior, eo etiam honeftior maritus. Olafus Pavo, vir fuo loco & tem-



tempore natalibus generosis; nec non moderatione, prudentia & aliis virtutibus, magis qvam pro genio seculi insignis, in uxorem Thorgerdam inconsulte commotam gravis, alias semper commodus, ac in rebus sibi etiam minus placentibus indulgens fuit; vid. *Laxdæla*, *Cap. XXIX.* Pecuniam non modo ad necessitates & impensas domesticas, verum ad decus etiam & splendorem, pro conditione status & facultatum, uxori sufficere maritorum erat. Indoles enim in uxoribus liberalis & heroica, qva prædita mulier, *qvennskörungr*, vocabatur, borealibus maxime placebat. Hinc Einarus Thveraaensis, cum ejus filiam Jórunam Thorkillus ambiret, de procantis re domestica interrogavit, *filiam suam*, (utpote liberalem), *res lautas decere*, *(dóttor minni hæfir mikit se)*, subjiciens; vid. *Reikdæla*, *Cap. XVII. Mst.* Cum Thorvaldo Gudruna desponderetur, inter conditiones matrimonii pro sponsa pater stipulabatur: *at Gudrún skildi ein ráda fyrir fer um se þeirra, þegar þau kæmi í eina sæng; eiga allz helming, hvart sem samfarir þeirra yrdi lengri edr skemri; hann skyldi oc caupa henni gripi, sva eingin jafnfiád kona ætti betri, en þó mætti hann halda búi sino fyrir þær-sakir.* ɔ: *Gudruna*, *ut primum thori genialis facta consors esset, & plenum pecuniæ communis arbitrium, & soluto matrimonio, sive diu illud sive brevi duraverit, dimidia bonorum pars cederetur. Illamqve emtis cimeliis muliebribus adeo exornaret, ut nulla foemina æqve dives præstantioribus esset instructa; ita tamen, ut familiæ domesticæ sustentandæ satis superesset.* Hæc uxori, e domo paterna parum dotatæ, spospondit Thorvaldus. Ubi vero illa fidem promissorum immoderatius & superbe exigeret, immo-

immodicas tandem impensas pertæsus maritus, Gudrunæ alapam inflixit. Unde illa, qva *ob colaphum*, qva *ob conditiones matrimonii non impletas*, legitimum marito divortium renuntiavit. De his omnibus, vid. *Laxdæla*, *Cap. XXXIV.* Börko itidem *ob colaphum*, qvem tamen insolenti, qvamvis excusabili facinore meruisse videri poterat, nuntium Thordisa remisit. De qvo *Eirbyggia*, *Cap. XX.* *Þórdís sagdi skilit vid Börk bónda sinn, oc fann þat til saka, at hann hafdi lostit hana, oc hun vildi ecki liggia undir höggum hanns. Var þá skipt se þeirra, oc geck Snorri at fyrir hönd módur sinnar; hann var heunar erfingi.* ɔ: *Marito Börko, qvod se verberasset, ejusqve pati verbera ipsa nollet, causata Thordisa legitimum divortium renuntiavit. Bona igitur communia inter conjuges divisa sunt. Rem matris curavit Snorrius, ipsius qvippe natus hæres;* conf. *Vit. Gislii Surson. Cap. XXXV. p.* 178. 179. Plagosum igitur mariti dominium, nisi facto inhonesto & inexcusabili essent meritæ, sonticam divertendi causam uxoribus dedit. Imo mortis causa interdum maritis exstitit ira uxoris verberatæ, qvam sibi exitialem Olafus Trygvinus N. R., vid. *Heimskr. T. I. Hist. VI. Cap. CXVI. p.* 330. *seqv.* nec non tres Halgerdæ mariti, vid. *Niala*, *Cap. XI. XVI. XVII. LXXIIX.* & alii experti sunt.

7) Genus hoc divortii, cujus causa sontica fuit senectus decrepita aut alia imbecillitas, qvæ uxorem dispensationi domesticæ inhabilem redderet, olim licitumqve exercitumqve fuisse docet *Historia Vapnfiordens. Cap. VI. Mst.* *Þat er sagt, at Hálla Lytings dóttir tók til orda, vid Brodd-Helga, oc mælti: samfarir ockar hafa lengi gódar verit; en nú kenni ec miöc vanheilsu, oc*

man

man þer verda skömm forusta fyrir búi þínu. Helgi svarar: ec þickiz vel kvongadr, oc ætla ec at una þéssu medan ockart líf vinnz. En þá var sú sidvenia at beidaz ur búi i þær mundir. ɔ: *Brodd-Helgium* (maritum) *Halla Lytingi filia his verbis allocuta traditur: nostrum diu connubium mutuus beavit amor; nunc autem adversæ valetudinis manifestus index dolor rei tuæ oeconomicæ breve mihi moderamen permittet. Respondet Brodd-Helgius: bona conjuge hacteuus contentus, illa porro conditione, qvamdiu utriqve nostrum vita supererit, acqviescam. Moris autem erat illa tempestate, claves abdicando connubium deprecari.* Paulo post domo profectus Helgius Thorgerdam cognomine Sylfram duxit uxorem; Halla autem a fratre Geitero arcessita abiit. Dotem sororis Helgium, in jus vocatum, frustra postulavit Geiterus; liberi autem communes divertentium apud patrem mansere.

8) Ad ingratum Bersii conjugium a fratre Thorkillo coacta Steingerda, marito huic divortium deinceps legitime renuntiavit, teste *Vita Kormaci, Mst.* Burislafum Thyra, cui invita nupserat, deseruit. Thorvaldo etiam filiam Gudrunam inconsultam desponderat, nuptumqve nec lubentem dederat pater Osvifus; verum illa marito parum grato nuntium remittendi occasionem qvæsivit, breviqve invenit. De qvibus supra.

9) Viros senes aversatas uxores monstrant verba Ketilridæ de proprio marito: *Illt er at eiga gamlan bónda.* ɔ: *Mala res, maritus senex*; vid. *Vit. Viglundi Pulcri, Cap. XVII. pag.* 31. nec non Torfii de sororis Signyæ matrimonio: *Þetta man Signyo ecki mikit til yndis, er madurinn er bædi gamall oc hardrádr*; vid. *Hist. Hördi*

Hördi & Holm. Cap. III. p. 71. Senem Buriſlafum Thyra averſabatur & deſeruit. Seni etiam Thorgilſo invita nupſit, virumqve deſerere voluit Helga; vid. *Hiſt. Flóamann. Cap. XXX. Mſt.*

10) Etſi de priſcis Borealibus aſſerere non poſſim, qvod de Carmanis refert Alexander ab Alex. ſcilicet: *neminem uxorem duxiſſe, niſi qui hoſtis caput prius ad regem detuliſſet;* vel qvod Stobæus & Mela de Amazonibus & Sauromatis memorant: *neminem inire connubium, niſi qvi hoſtem confeciſſet;* conf. *Joh. Schützen App. Curioſ. & Pract. T. II. ad voc. Nubere;* certum tamen eſt, fortitudinem militarem & res armis præclare geſtas in maximo qvondam apud Boreales honore fuiſſe; idqve adeo, ut hac laude deſtitutus vir foeminis procus, & vel in convivio aſſeſſor, (vid. *Eigla, Cap. XXX.*) ſorderet. Genium ſeculi ludi puerorum ſatis loqvuntur, in qvibus colludio ut indignus arcebatur, qvi nullum animans occidiſſet, vid. *Hiſt. Floamann. Cap. X.* Turpe viro cenſebatur, nunqvam cum hoſte armis conflixiſſe; ejusmodi enim vir per opprobrium, *humanum ſangvinem nunqvam vidiſſe,* dicebatur. Unde Skarphedini de nutricio ſuo jocus: *Siá madr hefir þó hellz verit hradfeigr, er látiz hefir fyrir fóſtra mínom, er alldri hefir ſed mannz-blód.* ɔ: *Ille morti properæ nimis devotus fuit, qvem occidit nutricius meus, qvi hominis ſangvinem manare nunqvam vidit,* vid. *Niala, Cap. XL.* Minime igitur mirum, ſi foeminis qvoqve proci & mariti, fortitudinis & rerum armis geſtarum gloria cluentes placuerint, puſillis vero animis & ignavia, (*dádleyſi oc litil-menſku*), diffamati maxime ſorderent, vid. *ſupra,* §. *IX. Not.* 7. Rem palam interpres temporum Saxo teſtatur;



tur; vid. *Hist. Dan. Libr. V. p. 69. Illa se Frothonem, tanqvam famæ & claritudinis inopem fastidire dicebat. Nulli etenim qvondam illustrium foeminarum connubiis idonei censebantur, nisi qvi sibi ingens famæ pretium gestarum insigniter rerum fulgore struxissent. Summum in proco vitium desidia fuit. Nullum magis in nuptiarum petitore, qvam claritat's inopia damnabatur. Sola gloriæ ubertas coeterarum rerum opulentiam exhibebat. Puellæ qvoqve non tam procantium se formas, qvam edita speciosa facinora mirabantur.* Morienti Atlio ignaviam uxor Gudruna exprobrat; vid. *Edd. Sæm. Od. Atla-mál en grönlenzco.*

Kvöl þótti qvicri	ɔ: *Acre dolebam, vivens*
at koma i hús Atla:	*Intrare domum Atlii,*
átti ádr kappi	*Uxor ante herois,*
illr var sá missir.	*Malo damno amissi.*
Comta þú af þvi þingi	*A comitio nunqvam redisti,*
er ver þat frægim	*Qvod qvidem audiverimus,*
at þú sauc sóttir	*Ubi causam alii impegeris,*
ne flöcdir adra.	*Vel refutaris alienum.*
vildir ávalt vægia	*Volebas perpetim cedere,*
en vætki halda.	*Non asserendo vincere.*

Mariti igitur *ignaviam inter æqvas divertendi causas* habitam, exemplis facile probatur. Thorhallium uxor Olufa graviter increpuit, qvod Thordum, in vitæ periculo versantem, præ metu destituisset; vid. *Vit. Thordi Hrædæ, Cap. XII. pag. 74. Sú kona er illa gipt er þik á, þvi þú ert fiálfbælinn oc huglaus.* ɔ: *Qvæ tibi nupsit, male nupta est, jactatori scilicet, & animi inopi.* Et porro (p. 76.), cum Thordum iterum non modo deseruisset Thorhallius, sed hostibus etiam prodidisset, in perfidum & ignavum maritum efferbuit

buit Olufa, de qvo auctor: *Oc var vit ſtalſt bitit, at hon mundi ſkiliaz vid hann fyri Þeſſar ſakir.* ɔ: *parumqve abfuit, qvin illi idcirco nuntium remiſerit.* Divortium marito Biörno comminabatur Valgerda, niſi Kario fortem & fidelem operam præſtaret, vid. *Niala, Cap. CLI.* Qvin & Thordo Goddio divortium ſolenniter Vigdiſa renuntiavit, propterea qvod cognatum ſuum cædis reum, qvem illa prius in tutelam receperat, ignave & ſordide hoſtibus prodidiſſet; vid. *Laxdæla, Cap. XVII. & XIX.*

11) Maritorum concubinas poſt matrimonium vix patiebantur uxores ingenuæ & erectioris indolis. Melcorcam, qvam in Norvegia emerat, domum cum perduxiſſet Höſkuldus, uxorem tamen Jorunam reveritus, ulteriori pellicis conſvetudine ſtatim abſtinuit, breviqve, ob diſſidium cum uxore, Melcorcam unacum filio Olafo domi retinere non ſuſtinuit, ſed alio translatos ſuſtentavit; vid. *Laxdæla, Cap. XIV. & XV.* Mariti Helgii concubinam domo ejecit Thordiſa, filiam tamen mariti ex concubina ſuſceptam retinuit & liberaliter educavit; vid. *Fliotsdæla, Cap. X.* Auxilium, uxoris neceſſariis aut amicis negatum, pro æqvis divertendi cauſis exiſtimatum fuiſſe, docent adducta ſuperius Vigdiſæ, Valgerdæ & Olufæ exempla. Bollio marito divortium minata eſt Gudruna Oſvifi f. ni fratribus ſuis Kiartanum occiſuris opem comes tulerit; vid. *Laxdæla, Cap. LX. Lokit man óckar ſamfaurom, ef Þú nú ſkerz undan ferd Þeſſari,* ɔ: *De conjugio noſtro actum erit, ſi huic te expeditioni ſubduxeris.* Thorkillo etiam maritorum ſuorum poſtremo eadem Gudruna repudium denuntiavit, ſi Gunnarum Thidrandicidam, qvem in tutelam illa rece-



receperat, interfecerit; vid. *Fliót-dæla*, *Cap. XXII. Vil ek, ſegir hun, at þú görir hanom eckert grand, nema þú vilier vid ſkiliom ockart felag upp frá þeſſom degi*, ɔ: *Nihil mali ipſi facias, volo, niſi noſtrum connubium ab hoc ipſo die finitum iri malis*; conf *Laxd. Cap. LXXVI.* Vera qvoqve divortii, qvod cum marito Börko Thordiſa fecit. cauſa fuit cædes Giſlii Surſonii, Thordiſæ fratris, cujus impulſor & auctor Börkus fuerat, *Vit. Giſl. Surſ. Cap. XXXV.* Thordiſa alia maritum Arngrimum, eoqvod conſobrinum ſuum Steinulfum inſontem ob zelotypiam interfeciſſet, deſeruit; *Vit. Viga-Glumi, Cap. XXI. p.* 220. Fuerunt & alia, qvæ uxoribus divertendi occaſionem dedere. Teſte Edda Snorrii, Scadia Niördum deſeruit, qvia ſede mariti Noatunenſi minus acqvieſcebat, Odinoqve deinceps nupſit; conf. *Heimskr. T. I. Hiſt. I. Cap. IX. p.* 13. Groa Skiöldum, ut ſuo connubio indignum deſeruit. *Vit. Bardi Snæfells-ás*, *Cap. IV. ed. Hol. p.* 166. Interdum etiam uxoris pater vel tutor matrimonium reſciderunt, qvod, *at brygda giaford*, vocabatur; ſive qvod conjugium absqve ſua auctoritate contractum haberent irritum, ſive qvod maritum conditiones matrimonii a ſua parte minus implere, vel alias ob cauſas foeminæ conjugio indignum cenſerent. Ulvildam ſororem Ubboni marito, in ſe qvippe rebelli, ademit, invitamqve alteri nuptum dedit Frotho I. D. R. Idem qvoqve Regnero, qvod Svanhvitam ſororem injuſſu ſuo uxorem duxiſſet, bellum intulit. *Sax. Gramm. Hiſt. Dan. Libr. II. p.* 24. Geſtus Oddleifi filius Thorgerdam ſororem Thorbiörno cuidam in matrimonium locavit certis conditionibus, qvas ſi minus ſervaſſet, ſibi jus ſolvendi

con-

conjugii refervavit. *Vit. Havardi Isfyrd. ed. Hol. p.* 40 *Þá gördi Gestr kost á, at þessi ráđ skyldu takaz, ef Þorbiörn beti haunum því med handa-taki, at láta af ójöfnudi oc rángindom, bióda hveriom manni þat er á, oc hafa lög oc rett. Enn ef hann villdi ecki gånga at þesso, þá skyldi Gestr brygda giafordit, oc göra skilnat þeirra. Þessu játar Þorbiörn, oc kaupa at so maltu.* ɔ: *Tum conditionem, qva conjugium fieret, Gestus propofuit: Si nimirum fidem fibi porrecta dextra daret Thorbiörnus, facturum, ut ab aliorum violenta læfione & injuriis fibi temperaret, fuum cuiqve tribueret, jus & æqvum fervaret. Hoc autem fi minus præftaret, Gefto integrum futurum, ut facto legitimo conjugum divortio matrimonium refcinderet. Hoc de fe fpondente Thorbiörno, coemtionis contractum dicta lege fecerunt.* Conventiones matrimonii pecuniarias retractando divortii occafionem dediffet Thorgilfus, nifi amice deinceps de re illa tranfactum fuiffet. Nimirum Thornyam abfente patre patruus Hæringus in matrimonium locaverat, dotemqve nubenti de bonis patris dixerat. In patriam autem reverfo Thorgilfo nimia filiæ dos data videbatur. Hujus igitur partem magnam repofcebat; nec gener aut filia abnuebant. Filia autem domum patris illico migravit, maritoqve deferto, dotem redditam fe fecuturam dixit. *Hist. Floamann. Cap. XXX. Er Þorgils kom heim, kom þar Þorny dóttir hanns. Þorgils spyr hvort hún vill, hun qvadz vilia fylgia fe finu, ef honum þætti þat meiri fómi at skylia med þeim Byrni.* ɔ: *Ubi domum rediiffet Thorgilfus, eodem ftatim infecuta eft filia Thornya; rogantique patri, qvo itura effet, regeffit, fe dotis comitem* (ad patrem) *redire, fi fuum ille cum*



Biarnio divortium fatis decorum putaret. Divortium autem nolens Thorgilfus, dotem filiæ, qvæ utrisqve placebat, attribuit.


12) Vid. fupra, §. *XXVI. Not.* 12.

13) Thorgilfo invita nupferat Helga Thoroddi filia, cumqve domo forte maritus abeffet, illa domefticorum qvodam comite adfcito, ad patrem rediit; haud dubio maritum deferendi confilio. Redux domum Thorgilfus, ubi uxorem abiiffe comperit; fumtis paulo poft armis ad prædium foceri pergit, ædesqve ingreffus, Helgam coram omnibus manu prehenfam tacitus abducit, domumqve revertitur. Stupentibus coeteris, cum Skaptius Helgii frater domefticos Thorgilfum perfeqvi, fororemqve ipfi per vim ademtam reducere juberet, regeffit pater Helgæ Thoroddus: *Þorgils fækir eptir fino, oc fkal mönnom ei hlída at fara eptir þeim.* ɔ: *Qvod fuum eft, Thorgilfus repofcit: eosqve infectari veto & interminor;* vid. *Hift. Floamann. Cap. XXX.* Uxorem ita fugitivam Thorgilfus porro retinuit.

§. XXVIII.

Poteftatem patriam, per emancipationem fponfalitiam & nuptias fibi traditam, maritus per divortium potuit non folum remancipando amittere, fed iterum qvoqve emancipando in novum maritum transferre (1). Verum dantur qvoqve exempla eorum, qvi

qvi *uxorem ſe mortuis habendam per nuncupationem teſtamentariam alteri legaverint;* ad cujus tamen ratihabitionem uxoris conſenſus neceſſarius fuiſſe videtur (2). Acceſſit interdum voluntas principis ſignificata, cujus *auctoritas majeſtatica*, ut ad reliqvas actiones ſubditorum, qvæ alias privati eſſent arbitrii, dirigendas, ita *in matrimoniis contrahendis*, plurimum ſæpe *valuit* (3). Per divortium legitimum ſub patriam poteſtatem, nempe ſi ad patrem reverteretur, utrum redierit foemina nec ne, non dixerim. Sed, conjugio morte mariti ſoluto, patria qvoqve poteſtas intermoriebatur; nec enim ſub poteſtatem patriam, *ſed ſub tutelam vidua recidebat.* Absqve auctoritate patris, aut tutoris, nubere qvidem denuo non potuit, ſed nec ad novas nuptias a patre invita cogi (4). *Patre mortuo* vel peregre abſente, *tutela ad filium* viduæ adultum, ſi hic non eſſet, *ad fratrem*, & inde porro *ad mares* pro gradu cognationis, vel pro electione viduæ ad alium *tranſibat* (5).



1) Vid. supra, §. *XXV.* conf. *Not.* 4. & 6.

2) Ringus, Ringarikiæ in Norvegia rex, Fridthiofo Vegeto, cum uxorem Ingebiargam, se mortuo in matrimonium ducendam, tum bona omnia testamento legavit, regniqve administrationem fiduciariam & filiorum, donec adolevissent, tutelam commendavit. Uxorem qvidem moribundus ipsi legitime qvod desponderit, ex illius ad Fridthiofum verbis perspicitur; vid. *Hist. Fridthiof. Veg.* (in meo exemplari) *Cap. VII. Mst.* *Brædur hennar muno ei unna þer virdingar, ne festa þer kono sem ek.* ɔ: *Fratres illius* (Ingebiargæ), *tuo honori invidentes, eam tibi, sicut ego, in matrimonium non desponsabunt.*. De testamentaria autem illa desponsatione ligata Ringi verba idem auctor profert, loc. cit.

Gef ec frægom	i. e. *Lego celebri*
Fridþiófi kono	*Fridthiofo uxorem,*
oc alla med	*Et omnia simul,*
eigo mína,	*Qvæ possideo.*

De consensu Ingebiargæ nullum poterat esse dubium; eam enim Fridthiofum, cui ante coactas cum Ringo nuptias fidem matrimonii dederat, adhuc sincere sed honeste amare satis constabat. Secus Helgius, Haddinga-skate dictus, ut fratrem suum Hedinum, se mortuo, maritum adscisceret, moribundus uxorem, a novis nuptiis abhorrentem, precibus inducere tentabat; vid. *Edd. Sæm. Od. Helga-qv. Haddinga-Sk.*

Bíd ec þic Svava	i. e. *Te, Svava, precor,*
brúdr grátattu	*Noli flere conjux!*
ef þú vilt míno	*Si qvid meæ fueris*
máli hlyda,	*Orationi datura,*
At þú Hedni	*Ut Hedino tu*

hvílo

hvílo görvir	*Thalamum instruas,*
oc jöfr úngan	*Principemqve juvenem,*
áſtom leidir.	*Amore proſeqvaris.*

Unde liqvet, uxoris conſenſum hoc in caſu fuiſſe neceſſarium.

3) Huic *uxoris emancipationi teſtamentariæ auctoritatem* regis *majeſtaticam* interdum *acceſſiſſe* docet exemplum Bardi cujusdam, qvi amico Thorulfo uxorem & bona omnia, nec non tutelam filii impuberis, moribundus teſtamento legavit. De hoc *Eigla, Cap. VIII. Bárdr let kalla kóng til ſín, oc ſegir; ef ſva verdr, at ec deyi úr ſárom þeſſom, þá vil ec þeſs bidia ydor, at þer látit mic ráda fyrir arfi mínom, Kongr játar því. þá mælti Bárdr. Arf minn allann vil ec taki þorúlfr Qvöld-Ulfſſon, land oc lauſa aura; hönom vil ec gefa kono mina, oc ſon minn til uppfædzlo, því ec trúi hönom beſt til þeſs. Hann feſti þetta mál ſem lög ſtódo til, eptir þat andadiz hann.* ɔ: *Bardus regem, ut ad ſe veniret, per internuntios precatur, eumqve præſentem ſic affatur: qvod ſi acciderit, ut hæc mihi vulnera vitam adimant, te, domine, ut mihi hæredis optionem & arbitrium concedas, rogatum volo. Annuente rege, pergit Bardus: bonorum omnium mobilium & immobilium Thorulfum Qvold-Ulfi filium hæredem dico; illi porro, qvippe cujus fides mihi minime dubia, uxorem meam in matrimonium, uti & filium educandum, lego & committo. Hanc ſuam voluntatem, juris formulis rite adhibitis cum ſanxiſſet, ipſe deceſſit.* Neqve hoc teſtamentum aut fides principis aut eventus deſtituit. Regiæ enim auctoritatis, qvæ teſtamentum Bardi ratum juberet, nuntiis & teſſeris inſtructus Thorulfus, ubi viduam ejusqve patrem conveniſſet,

 man-




mandato regio & ultima Bardi voluntate significatis, eorum ad nuptias consensum, virtutis ipse palam notæ & expertæ, facile impetravit. Reges autem & principes in contrahendis subditorum matrimoniis, auctoritate sua persæpe usos, cui suam voluntatem illi, penes qvos elocandi alias arbitrium erat, præ reverentia & metu submiserint, exempla multa testantur. Haraldus Pulcricomus N. R. Ingemundo Vigdisam, Comitis Thoreri Taciturni filiam, Rolfi vero Peditis f. Roberti, primi Normanniæ Ducis, ex fratre neptem, operæ sibi in prælio Hafursfiordensi strenue navatæ præmium, uxorem conciliavit, teste *Vatsdæla Mst.* Sveinus Estritius D. R. colonum qvendam, uxorem repudiare jussum, meliore & nobiliore deinceps conjugio beavit; vid. *Heimskr. T. III. Hist. IX. Cap. LXIX. p.* 141. Idem Rex Steino & Biörno Sigtryggi filiis ingenua in Dania matrimonia prospexit; vid. *Vit. Kroca-Refi, Cap. XIV. ed. Hol. p.* 68. Haraldus Severus N. R. Ulfo Ospaki filio, peregrinationum & periculorum socio & comiti Jorunam Thorbergi filiam uxorem dedit; vid. *Heimskr. T. III. Hist. IX. Cap. XXXIIX. p.* 97. Eysteinus Magni f. N. R. Ivaro poëtæ in matrimonium, qvemcunqve peteret, modo regii non esset sangvinis, se daturum pollicetur, vid. *libr. & T. cit. Hist. XII. p.* 251. De Sverrero qvoqve ipsius historia perhibet, qvod regno Norvegiæ sine æmulis potitus, Byrkebeinos suos non modo lautis officiis, sed honestissimis qvoqve & nobilissimis conjugiis sit remuneratus. Verum in re nota exempla cumulare superfluum.

4) Vid. supr. §. *VIII. Not.* 7. 8.

5) Jus

5) Jus elocandæ mulieris penes patrem primitus & jure ſangvinis fuiſſe conſtat. Conjugio autem filiæ per mortem mariti aut divortium ſoluto, ſub patris qvidem, ſi viveret, nec peregre eſſet, tutelam rediiſſe filiam, docet exemplum Halgerdæ, vid. *Niala*, *Cap. XIII.* & Gudrunæ, vid. *Laxdæla*, *Cap. XXXIV.* & *XXXV.* Nevtiqvam tamen jus matronale per legitimas nuptias adepta filia, ſoluto matrimonio ſub poteſtatem patriam retrudebatur, aut a patre ad novas nuptias invita cogi poterat, etſi illo auctore nubere deberet; vid. *Niala*, *Cap. XIII.* & *XXXIII.* & *Laxd. Cap. XXXV.* & *XLVI.* Patre vero orbatæ viduæ tutela ad filium adultum & fratrem, & ſi hi non eſſent, ad avum paternum vel maternum, indeqve porro ad patruum vel avunculum transferebatur. Enim vero de *ordine ſucceſſionis tutelaris*, qvæ *inter mares* adultos *ordinem ſucceſſionis ab inteſtato ſecuta* videtur, cum nemine contendere volo. Filium adultum matris viduatæ & fratrem ſororis tutores & nubendi auctores fuiſſe, ſupra, §. *VIII. Not.* 2. 3. 8. monſtravimus. Höſkuldus tutelam Melcorcæ, ſuæ pridem & ſervæ & concubinæ, in Olafum, filium illius adultum, ſenſim tranſtulit; Melcorca autem, indignata ſe negligi, ut vicem illi reponeret, Thorbiörno cuidam, auctore filio Olafo, Höſkuldo autem inconſulto, nupſit; vid. *Laxdæla*, *Cap. XXII.* Auctore porro fratre Geſto nupſit Thorgerda; vid. *Hiſt. Havardi Iſfyrd. p.* 42. Et auctore Klauſio ſoror Sigrida; vid. *Svarfdæla Mſt.* Conf. *Eirbyggia*, *Cap. LXIIX.* Auctore avo materno nupſit Thorgerda; vid. *Niala*, *Cap. XXXIV.* Avo autem paterno auctore, patre nimirum abſente, nupta fuit Thordiſa, vid. *Landnama*, *P. III. Cap. XX. p.* 269.

 Hil-



Hildigunnam Flosius, (vid. *Niala*, *Cap. XCIIX.*), & Thornyam Hæringus, (vid. *Hist. Flóamanni. Cap. XXIX.*), neptes patrui, patribus mulierum vel mortuis vel peregrinantibus, in matrimonium locarunt. Avunculo autem Thorsteino Svarfado auctore Sigrida Griso nupta fuit, teste *Svarfdæla, Mst.* Verum fuit etiam, cum elocandæ mulieris arbitrium ab ipsius necessariis ad alios migraret, nempe vel ad *nutricium*, vel ad *amicum*, vel ad solam *foeminam*. Nutricatus autem veterum Borealium duplex fuit, nempe adoptivus & genupositititius, vid. §. *XXIII. Not.* 1. *p.* 101. Utiqve igitur mirum non est, si cum officiis patris jura simul patria, & inter hæc jus mulierem in matrimonium locandi, in nutricium translata fuerint. Propria tamen auctoritate alumnas nuptum dedisse non videntur nutricii, nisi patre mulieris, vel illo, qvi jure sangvinis ejus esset tutor, mortuo, peregrinante, mulieris conditionem negligente, vel qvacunqve ratione tutelari potestate exuto, aut exui digno. Sic Ingigerdam alumnam, patre mulieris mortuo, Halfdano Eysteini f. jure nutricatus elocavit Sculius Comes; teste *Vita Halfd. Eyst. f. Mst.* De Thyra, qvæ patre Haraldo Gormii f. D. R. dudum orbata, & a fratre Sveino Biberbi D. R. Burisleifo Vandalorum regi ethnico & seni nubere coacta, eoqvod illegitimum aut saltem iniqvum matrimonium, & potestate tutelari abusus frater videbatur, maritum clam deseruit, & Olafo Trygvino N. R. inconsulto fratre Sveino nubebat, habet *Hist. Ol. Trygv. ed. Scalb. P. II. Cap. XXXVI. p.* 162. *Enn er þetta mál var talat, feck Olafr K. Þyri Drotningar, ok fastnadi hún sik sialf meá rádi Aussurar fóstra sins.* ɔ: *Ubi autem*

autem de hoc negotio transactum fuit, Thyram Reginam uxorem duxit R. Olafus, ipsaqve se, auctore nutricio suo Assero, in matrimonium despondit; conf. *Heimskr. T. I. Hist. VI. Cap. C. pag.* 299. Nec absimile Olafi Sti N. R. cum Astrida matrimonium fuit. Etenim Olafus Sveciæ rex in comitiis Upsalensibus filiam legitimam nomine Ingigerdam, Olafo N. R. uxorem invitus promiserat, & Gothiæ Comiti Rögnvaldo negotium vicarium, ut suo nomine regi Norvego filiam in matrimonium desponderet, palam & publice mandaverat. Facti autem postea poenitens rex Svecus, datam publice fidem fefellit, & Ingigerdam regi Holmgardiæ in matrimonium desponsavit; qva re & Olafum N. R. & Comitem Rögnvaldum graviter læsisse videbatur. Hi igitur, qvo injuriam regis Sveciæ vindicarent, consilia inter se clanculum communicabant, qvorum is fuit exitus, ut Rögnvaldus assumtam aliam Olafi Sv. R. filiam, sed naturalem, nomine Astridam, secum in Norvegiam abduceret, eamqve regi Norvegiæ Olafo propria auctoritate, & inconsulto patre in matrimonium desponsaret & elocaret. De hoc *Heimskr. T. II. Hist. VII. Cap. XCIV.* p. 131. *Rögnvaldr Jarl fastnadi Astridi dóttr Olafs Svía konungs Olafi Noregs konungi, med þeirri heimanfylgiu, sem ádr lafdi skilit verit, at Ingigerdr syster hennar skyldi hafa heiman haft. Konungr skyldi og veita Astridi þvílika tilgiöf, sem hann skyldi hafa veitt Ingigerdi systor hennar. Var þá sú veitzla aukin, oc var þá druckit brullup Olafs konungs oc Astridar drottningar med mikilli vegsemd.* ɔ: *Rögnvaldus* Comes *Astridam, Olafi Sv. R. filiam, Olafo N. R. desponsavit, eadem cum dote, qvam ut acciperet*

 Ingi-



Ingigerda illius soror, *domoqve secum ferret*, *antea fuerat decretum & statutum*; *sponsæqve itidem dona daret rex eadem*, *qvæ Ingigerdæ ejus sorori daturus fuisset. Tum majori apparatu structo convivio*, *nuptiæ Olafi regis atqve Astridæ reginæ ingenti cum magnificentia sunt celebratæ.* Hæc sponsalia, sive vi mandati, a rege Sveco de filia regi Norvego despondenda in comitiis Upsalensibus sibi publice dati, (vid. *libr. T. & Hist. cit. Cap. LXXXI. pag.* 105.), sive nutricatus Astridæ officio in se interim suscepto, Astridam enim non ipse, sed Egillus qvidam Vestrogothus educaverat, (vid. *L. T. & Hist. cit. Cap. LXXXIX. p.* 118. 119.), jure se facere credidit Rögnvaldus; præsertim cum pater Astridæ, utpote fidei publicæ, de matrimonio filiæ proditæ reus, hac contumelia, & locandi filias jure exui dignus censeretur. Utcunqve res fuerit, regis Norvegi cum Astrida nuptiæ pro legitimis habitæ, & Olafi S. R. Astridæ patris consensu deinceps approbatæ fuerunt, vid. *L. T. & Hist. cit. Cap. XCVII. p.* 143. Thordus Gellerus suam ex sorore neptem Thuridam, qvam enutrivit, vivo & præsente patre Gunnaro, jure nutricatus Hersteino cuidam uxorem despondit & elocavit; teste *Vita Thoreri Gallinarii, Mst.* Si foeminæ nec tutor jure sangvinis, nec nutricius esset, *ex amicis* rerum suarum *curatorem* pro arbitrio elegit, cujus consilium, ut in aliis, ita etiam in negotio matrimonii illa seqvebatur. Arbitraria tamen hæc electio foeminæ svadendi magis jus & potestatem, qvam auctoritatem electo curatori dedisse videtur. Hinc Gudruna Osvifi filia, cum illam nuptiis ambiret Thorkillus, ipsaqve & patre & fratribus, qvi ob cædem Kiartani omnes exilio multati

fuerant,

fuerant, eſſet orbata, Gudrunæ autem filii ætatem legitime maturam vixdum attigiſſent, Snorrii Prætoris, qvem amicorum fidiſſimum & ſapientiſſimum ſæpe fuerat experta, ſententiam & conſilium ſeqvebatur; vid. *Laxdæla, Cap. LXXV.* Hic Gudruna procum Thorkillum commendanti Snorrio ſic reſpondet: *Synir mínir muno her meſto umráda Bolli oc Þorleikr: en Þú ert ſá hinn Þridi madr Snorri, er ec man Þat rád undir eiga, er mer Þykir meſto ſkipta, Þvi Þú hefr mer lengi heilrádr verit.* ɔ: *In hac re filiorum meorum Bollii & Thorleiki ſententia plurimum valebit: tu vero, Snorri, tertius ille es, cujus arbitrio res meas, qvæ majoris qvidem momenti fuerint, commiſſura ſim; dudum enim mihi ſoles utilia ſvadere.* Porroqve conditionem matrimonii acceptura dixit: *Mióc munom ver hlyda forſiá Snorra her um, Þvi oſs hafa hanns rád heiluſt verit.* ɔ: *Snorrii in hoc negotio curæ prudenti obtemperabimus; ſua enim conſilia nobis ſaluberrima fuerunt.* Sin autem vel *extra patriam* conſtitutæ *foeminæ* tutorem legitimum præſentem non haberent, vel *intra patriam a tutore neglectæ* defererentur, oblata, qvæ placeret, nubendi conditione, ſuopte & *propria auctoritate* ſæpius *nupſerunt.* Thorgerda in Norvegia Herjulfo cuidam, legitimo tutore Höſkuldo, ipſius qvippe filio adulto, non conſulto, ſemet ipſa deſpondit, & ſuopte nupſit. Unde maternam hæreditatem fratri uterino Ruto Herjulfi filio jure denegare ſibi Höſkuldus videbatur; vid. *Laxd. Cap. VIII. & XXI.* Foemina qvædam nomine Svala, Thorarinum Langdalenſium Prætorem legitimum qvidem intra patriam tutorem habebat; verum ille, cum a proco Svalæ conſenſum ad nuptias poſceretur, conditionem foeminæ



foeminæ ſe negligere, nuptias nec vetare nec permittere, ſiqve fiant, absqve ſua auctoritate & conſilio fieri declarat. His auditis Syala ſemet ipſa deſpondit, & proco Oſpago nupſit; conf. *Hiſt. Bandamann. ed. Hol. pag.* 3.

§. XXIX.

Jura maritorum hactenus explicuimus. Unde patet magnam maritis apud Romanos, nec minorem apud priſcos Boreales, in uxores fuiſſe poteſtatem. Uxores qvidem non fuerunt *res mancipi,* nec inſtar ſervarum per æs & libram, ut Romanis loqvi moris fuit (1), a viro alteri mancipari aut venundari (*at ſeliaſt man-ſali*), nec in ſervitutem redigi (*at piáſt*), poterant (2); *fuerunt tamen in manu mancipioqve* (*undir handar-jadri*) *mariti*, ut eas, miſſo repudio, & remancipare, & alteri emancipare viris licuerit (3). Hæc tamen emancipandi facultas qvum per divortia uxoribus licita coërcebatur, tum rarius exercita videtur (4). Verum tantis juribus congrua *maritorum officia* & obligationes reſpondebant. Fuit enim virorum, uxores, ut honoris & bono-

bonorum consortes, digne & liberaliter habere, alere, eisqve sumtus pro familia honeste sustentanda necessarios subministrare (5). Siqvid porro habuerit uxor, cujus alios postularet, aut in alios qvod deliqverit, *qvoniam ipsa in jus qvidem vocari* (6), *non autem causam in foro agere poterat* (7), uxorem omnimodo patrocinio tueri, ejus culpam redimere, omnemqve ejus læsionem & ignominiam, qva potis esset, averruncare & vindicare maritus tenebatur (8).

1) Uxores Romanorum etsi a patre emancipari marito, & a marito remancipari, qvin & alteri emancipari qviverint; etsi, inqvam, uxor & capite deminuta ac in manu mancipioqve mariti, & maritus uxoris dominus fuerit, vid. supra, §. *XXIII. Not.* 2. *nevtiqvam* tamen *uxor romana inter res mancipi* numerabatur. Res autem mancipi fuere prædia Italica, jura prædiorum, servi, qvadrupedes, hæreditas, filii familias, margaritæ & sepulcra. Hunc rerum mancipi catalogum, qvem uxor non ingreditur, veteres secutus exhibet Heineccius, *Antiqvit. Rom. II.* 1. 18. Qvamvis porro & pater in filiam, & maritus in uxorem flagitiosam jus vitæ & necis habuerit, vid. *Hein. l. cit. I.* 9. 5. *&* *I.* 10. 6. minime tamen licebat vel patri filiam, vel marito uxorem instar mancipiorum in servitutem vendere aut tradere, sive, ut Romani loqvebantur, *per æs & libram mancipare.* Hoc enim




ritu alienari non poterant nisi res mancipi, in qvarum numero filius qvidem, sed nec uxor erat, nec filia. Conf. *Heinecc. Antiqvit. Rom. I. 9. 6. & I. 12. 6. & 7.*

2) *Man* apud priscos Boreales *servos utriusqve sexus* denotat. Græcis *μανης* erat servus; conf. *Landn. ed. Hafn. Indic. voc. poët.* p. 495. *Manus* etiam Romani *famulos* vocarunt, vid. *Gesn. Thes. L. L.* Hinc *Mansal*, servi venditio v. traditio, & *mancaup*, servi emtio v. acceptio, item servus emtus v. acqvisitus; qvæ Borealium vox cum Romanorum *mancupio* cognationem plusqvam fortuitam habere mihi qvidem videtur. Ideoqve, *at selia mansali*, idem est ac, in servitutem vendere sive venundare; vid. *Heimskr. T. I. Hist. VI. Cap. LVIII. p.* 256. conf. *Landn. P. IV. Cap. II. p.* 281. & *P. V. Cap. XII. pag.* 370. 371. Servi Borealium, qvorum ob continuos in terras exteras excursus piraticos ingenti multitudine vetus Septentrio abundabat, primitus omnes jure belli libertatem amisisse videntur. Homines enim vel nobilissimos populando captos dominus vel in servitutem ipse redigere, vel vendendo aliis emancipare poterat. Perpetuumqve servitutis jugum pati cogebantur, non ipsi modo, qvi capti fuerant, sed & captorum liberi, qvi matris domino cedebant, nisi vel a suis lytro numerato liberarentur, vel ipsi pretio aut operis libertatem redimerent, vel deniqve a domino gratis manumitterentur, qvales a Romanis *liberti*, a Borealibus *leysingiar* vocati sunt. In servitutem redigere, *at Þiá*, olim dicebatur; unde Dan. *Tyende* pro operis, ortum videtur. De Mirgiola, regis Hibernici filia & Comitis Scoti uxore, ejusqve filio Erpo, habet Land-

Landnama, *P. II. Cap. XVI. p.* 108. *Sigurdr jarl tóc þau at herfángi, oc þiádi.* ɔ: *Hos bello captos Sigurdus Comes in servitutem redegit. Klaufi vildi ecki láta þiáz.* ɔ: *Klaufius servitutis jugum sibi imponi non patiebatur*; vid. *Svarfdæla, Mst.* Civibus autem ingenuis, intra patriam communem & legibus communibus viventibus, utrum vel obæratis vel delinqventibus servitutis jugum imponi potuerit, nec ne, non definio. Ejus certe rei exempla historica mihi non succurrunt; nec hujus sunt loci. Proprios filios non modo exponere, occidere, in carcerem detrudere, sed & ter in servitutem venundare, patri permisere priscæ Romanorum leges, vid. *Heinecc. Antiqv. Rom. I.* 9. 5. *&* 6. Verum hac in parte Borealium veterum instituta minus barbara fuerunt. Liberorum enim venditionis nullum in historia boreali vestigium mihi repertum. Infantes recens natos exponere patri jus fuit, ita tamen, ut magis licitum qvam honestum haberetur; vid. supr. §. *XXIII. Not.* 1. Semel autem susceptos qvod pater venum dederit, inauditum. Sororis servæ, & a domino ad ignominiam familiæ, post consvetudinem coactam expulsæ, filium Klaufium Griso, qvi eum advexerat, in servitudinem redigendum commisit avunculus Thorsteinus; nevtiqvam vero vendidit, sed pecuniam insuper amplam domino fiduciario pro alimento impuberis numeravit, qvæ pecunia, *fúlga*, auctori Svarfdælæ vocatur. Uxores qvidem repudiare, castigare, qvin & flagitiosas occidere Romanis, nec non, nisi dispuduisset, Borealibus licebat; vid. supr. §. *XXIV. Not.* 1. 2. *&* 3. In servitutem vero uxorem legitimam venundare, utrisqve nefas & infandum.

3) Vid.




3) Vid. supra, §. *XXIII. Not.* 2. 5. *seqv.* §. *XXIV. Not.* 1. 2. & §. *XXV. Not.* 1. 6.

4) Vid. supra, §. *XXVII.*

5). Hoc maritorum erga uxores officium fuisse vel exinde colligitur, qvod illius negatio justam divertendi causam uxoribus persæpe dederit; vid. supra, §. *XXVII. Not.* 6. Qvandoqvidem autem rei penuariæ & vestiariæ cura ac dispensatio penes uxores erat, pecuniam & sumtus ad alimentum atqve mercedem operarum, ad suas & liberorum vestes & ornatum, qvantum facultates permitterent, & nascendi vel ordinis conditio exigeret, uxori sufficere maritus debebat. Hoc etiam inter conventiones matrimonii, præsertim si parum dotata, sed nobilior, pecunioso & ignobiliori nuptum daretur, qvod, *at gefa kono til fiár*, veteres dicebant, (conf. *Niala, Cap CXLIX.* & *Vit. Havardi Isfyrd. p.* 53.), interdum expresse stipulatum fuisse, docet *Laxdæla, Cap. XXXIV.* & *Fliótsdæla, Cap. XXIII.* & *XXIV.* Penus igitur & domesticæ oeconomiæ dispensatio solius fere uxoris arbitrio permitti debebat. Unde cum sua conditione minus contenta esset Unna, cjusqve causam pater Mördus qværeret, testes domestici, qvos Rutus produxerat, rerum, qvascunqve vellet, illi copiam & arbitrium a marito fieri dixerunt, (*saugdo hana eina ráda því sem hún vildi*), vid. *Niala, Cap. VI.* Hinc Halgerda Gunnaro, unde id ciborum haberet, roganti, *þat er ecki karla, at annaz um matreidu,* ɔ: *Penum curare non esse virorum, respondit*; vid. *Niala, Cap. XLIX.* Et qvemadmodum splendida liberalitas inter præcipuas virtutes in Septentrione olim æstimabatur, sic avara maritorum & parcipromа sordities male audiebat,

bat, & uxoribus earumqve neceſſariis maxime diſplicebat. Hinc Urſa regina maritum Atiſlum Sv. R. qvippe tenacem & avarum, deſerere conſtituit; teſte Saxone, *Hiſt. Dan. Libr. II. pag.* 29. Cum ſupra memorata Halgerda maritum Thorvaldum alimenta familiæ, qvæ deeſſent, proſpicienda poſtularet, is vero, qvantum ſatis eſſe ſoleret, proſpexiſſe ſe diceret, illa pro more ſuo non minus procax qvam prodiga regeſſit: *ecki fer ec at þvi, þóttú hafir ſvellt þic til ſiár oc fadir þinn:* ɔ: *ſi tu cum patre per eſuriem voluntariam diteſcere qvæſiveris, parum ego moror;* vid. *Niala, Cap. XI.* Alimenta etiam familiæ ſuppeditanda, *(ſaung i bú)*, Ketillum Hængum uxor Sigrida popoſcit, qvæ ille ſtatim paravit; vid. *Vit. Ketill. Hængi, Cap. VI.* Plagoſam vero & illiberalem uxoris ingenuæ tractationem, niſi inſignibus flagitiis meritam, non modo ſonticam divertendi cauſam uxori dediſſe, ſed maritis qvoqve exitialem fuiſſe, ſupra §. *XXIV. Not.* 2. & §. *XXVII. Not.* 6. monuimus.

6) Foeminas qvidem in jus raptas apud Romanos, decemvirorum ſaltem tempore, fuiſſe, docet exemplum Virginiæ; vid. *Liv. Hiſt. III.* 44. Poſteriori tamen ævo matronas in jus vocari, non rapi potuiſſe, teſtis eſt Val. Max. II. 1. 5. Mulieres porro Romanorum comitiis & foro carere ſolitas, ex verbis ejusdem auctoris, *III.* 8. 6. *Qvid foeminæ cum concione?* colligitur. Non in ſenatum venire foeminis fas erat, & cauſas apud magiſtratum agere adeo non ſolebant, ut, ſicubi egerint, res monſtri ſimilis viſa fuerit. Cujus rei documento eſſe poſſunt, cum Val. Maximi, *VIII.* 3. 1. verba: *ne de his qvidem foeminis tacendum eſt, qvas conditio naturæ, & verecundia ſtolæ,*



ut in foro & judiciis tacerent, cohibere non potuit; tum Plutarchi *in Num.* teſtimonium, qvi, *cum aliqvando mulier in forum progreſſa cauſam pro ſe egiſſet, ſenatum deos conſuluiſſe* perhibet: *ecqvid hoc exemplum urbi portenderet;* adeo nefas & inſolens videbatur, mulierem in forum prodire, & vel ſuam ibi cauſam agere. Sed nec ullius publici muneris participes fuiſſe Romanorum antiqvorum mulieres, fuſe probat Heineccius, *Ant. Rom. III.* 21. 11. & 13. Borealium autem foeminas ob delicta graviora in jus vocari potuiſſe, monſtrat, ut reliqva prætermittam, exemplum Hildigunnæ, cui ob magiam Einarus qvidam diem dixit; actio tamen a filio Hildigunnæ, qvi citantem armis aggreſſus proſtravit, peremta fuit; vid. *Landn. P. II. Cap. VII. p.* 75. *ſeqv.* nec non Halgerdæ, cui Otkillus furti poſtulatæ dicam impegit; vid. *Niala, Cap. L.*

7) In foro cauſam egiſſe mulieres Borealium, aut raro aut nuſpiam reperies; & ſiqvid tale inciderit, res erat in Septentrione, non minus qvam apud Romanos, inſolens & nigro cygno ſimilis. Arma & jura tractare viri debebant; penus & familiæ domeſticæ cura foeminis relinqvenda. Sexus officia mutare non magis licitum aut decorum, qvam ſexum veſtitu diſſimulare; qvod nefas & capitale duxiſſe Boreales, ſupr. §. *XXVI. Not.* 11 oſtendimus. Virorum vices præoccupare in foemina ſemper protervum & temerarium; muliebribus etiam muniis fungi viris non turpe modo & probroſum, ſed infame qvoqve habebatur. Veterum Borealium amazones, *Skioldmöer*, Saxoni & aliis memoratæ, dictorum fidem nevtiqvam infringunt. Ritus enim & inſtituta gentium non ex

rario-

varioribus exemplis, sed communi & legibus attemperata consvetudine determinari debent. Amoris & zelotypiæ impotens Brynhilda perdilectum sibi Sigurdum, ne ejus conjugio glos frueretur, occidendum curavit; moxqve sibi ipsi, ne Sigurdo superesset, mortem cruentam propria manu conscivit. Sigurdi autem uxor Gudruna, ut fratres, ad qvorum tamen perniciem ipsa maritum stimulasse videtur, occisos ulcisceretur, filios propria manu jugulavit, & jugulatos patri epulandos apposuit; moxqve maritum in lecto cubantem suis manibus ferro peremit. Ejusmodi autem facinora more gentis licita aut recepta fuisse, nemo sanus statuerit. In foro generali Unna qvidem marito divortium solenniter renuntiavit, qvod & ipsum insolens & novum videbatur, (*þetta gerdo menn at nyiom tidindom*), teste *Niala*, *Cap. VII.* Unde foeminas maritis domi plerumqve repudium renuntiare solitas colligitur, vid. supr. §. *XXVI Not. 7.* Ipsa tamen vel litem forensem contra Rutum instituere, vel suam causam in foro agere haud sustinuit, qvod primum pater Mördus, ut tutor filiæ, deinceps autem Gunnarus fecere; manifesto indicio, mulieri in foro causam agere haudqvaqvam licitum aut moris fuisse. Uxorem etiam furti postulatam Gunnarus in foro defendit. Matrem filii, sororem fratres aut alii cognati tuebantur. Mulieris igitur forense patrocinium, innuptæ tutori, nuptæ marito incubuit. Qvodsi mulieri nec maritus, nec inter cognatos tutor patrocinio causæ idoneus esset, poterat ipsa de necessariis, extra sui tutelam constitutis, vel amicorum uni, causæ suæ actionem & defensionem coram testibus nuncupatis legitime mandare; qvem actum Boreales, *at*

 hand-



handsala einom sauk, Romani autem, *litis dominium in alterum transferre*, dicebant; vid. *Niala*, *Cap. XXI. & XXII. p.* 31. 33. Hoc foeminæ saltem viduæ licuisse, Unnæ monstrat exemplum. Uxori vero de nullo negotio, in qvod actio legitima dabatur, suopte vel jure contendere, vel pacto transigere licebat; qvo respiciunt verba Gunnari ad uxorem, cædem Svarti suis auspiciis peractam a marito pecunia fuisse repensam indignantem: *tuum erit coeptorum arbitrium; meum autem causarum exitum moderari*; vid. *Niala*, *Cap. XXXVI.* Prisci qvidem Romani non fidejussiones tantum, sed omnes omnino mulierum intercessiones ex qvocunqve contractu irritas habebant, foeminasqve in forum prodire, & ullum civile negotium peragere vetabant. Huc spectant verba Val. Maximi, *IX.* 1. 4. *Sed qvid ego de foeminis ulterius loqvar, qvas & imbecillitas mentis, & graviorum operum negata affectatio, omne studium ad curiosiorem sui cultum hortatur conferre?* Post abrogatam autem legem Oppiam, cujus & Livius, *XXX.* 5. & Val. Maximus, *IX.* 1. 3. meminere, foeminæ & paulo liberius vivere, & negotiationibus, versuris, ac intercessionibus vacare coeperunt. Qvæ tamen licentia Augusti & Claudii edictis & senatus consulto fuit coërcita; vid. *Heinecc. Ant. Rom. III.* 21. 14. Hæc si cum Borealium institutis contendere velimus, eandem hic, qvæ apud Romanos regulam valuisse comperies. Nimirum, qvamdiu foemina sub virili esset tutela, tamdiu nihil negotii civilis, qvod publice esset ratum, (res enim domesticæ & privæ, qvæ sui erant arbitrii, hic excipiendæ), absqve tutoris competentis auctoritate peragere poterat. Triplex autem mulierum

inge-

ingenuarum difcrimen hic obfervandum venit. *Virgines fub patria poteftate* degebant, & hac orbatæ cognatorum *tutelæ* erant *obnoxiæ*. *Uxores in mariti dominio* erant conftitutæ. *Viduæ*, per juftum matrimonium jus matronale femel confecutæ, conjugio legitimo foluto, *fub patris* aut *cognatorum tutelam* recidebant. Si vero familiam deinceps alerent, tutorum poteftati haud ufqveqvaqve fubjectæ fuerunt. Qvin etiam patris aut tutorum obitu, vel ipfis curam foeminæ negligentibus, vel fi mulier, patria & necesfitudinibus relictis, alio migraret, ubi nullum jure fangvinis tutorem haberet, *tutela foeminæ* penitus intermortua eft & *obfolevit*. Hoc in cafu multa civilia, & qvidem a domefticis rebus diverfa, negotia obire matronis licebat, qvæ foeminis, tutorum aut maritorum poteftati fubjectis, facere non erat integrum. Poterant enim ejusmodi viduæ propria auctoritate, adhibitis tantum teftibus, hæredes adoptare, fervos manumittere, res nullius occupare, res fuas vendendo vel donando alienare, alienas emendo comparare, & alias civiles negotiorum, qvæ jure valerent, difpofitiones facere, unde dominium mariti uxores, & poteftas patria vel tutoris auctoritas reliqvas mulieres exclufit. De his autem infra pluribus agetur. Hic tantum fupereft, ut paucis difpiciatur; *utrum foeminis* olim *magiftratum gerere*, aut ullius publici muneris participes fieri, *licuerit*. De Romanis qvidem mulieribus, qvas fub perpetua fuiffe tutela juris doctores affirmant, faltem qvamdiu antiqvis & Imperatorum lubidini nondum obnoxiis legibus res publica floruit, res omnino neganda videtur; de uxoribus maxime, qvas & capite deminutas mariti dominium reddidit.

 Rem



Rem tamen *ſacram* ſæpius *fecere matronæ*; qvin & ejus cura Veſtalibus virginibus publice commiſſa fuit, qvæ ideo munere publico, ſed ſacro fungebantur. Hinc patria poteſtate, ut primum a pontifice captæ, exibant; vid. *Pitiſci Lex. Ant. Rom. ad voc. Veſtales.* Idem uxoribus Dialium, qvæ jure ſacerdotii, qvod gerebant, indultum fuiſſe, Heineccium, (vid. *Antiqv. Rom. I.* 12. 14.), annotare miror; ubi vir magnus, aut Tacito nimis credulus, aut ejus verba parum feliciter interpretatus videtur. Ita vero Tacitus, (Annal. IV. 16.): *Et, qvando exiret e jure patrio, qvi id flaminium apiſceretur, qvæqve in manum flaminis conveniret. Ita medendum ſenatus decreto, aut lege: ſicut Auguſtus qvædam ex horrida illa antiqvitate, ad præſentem uſum flexiſſet. Igitur tractatis religionibus, placitum, inſtituto flaminum nihil demutari. Sed lata lex, qva flaminica Dialis, ſacrorum cauſa, in poteſtate viri, coetera promiſcuo foeminarum jure ageret.* Nimirum flamen per dignitatem muneris, ejus autem uxor per ſolum conjugium poteſtate patria exibat, qva ſolvebantur omnes, qvæcunqve per juſtas nuptias, ſi vel privato nupſiſſent, in manum viri convenere. Nec illa poteſtatis patriæ immunitas, uxori flaminis conceſſa, reſtringebatur, ut vult Heineccius, illo ſenatus decreto, qvod Tacitus *(loc. cit.)* memorat: *ſed lata lex, qva flaminica Dialis, ſacrorum cauſa in poteſtate viri &c.*; etenim ſi ſub poteſtate viri, in cujus manum convenerat, eſſet flaminica Dialis, certe paterno imperio, qvod per nuptialem filiæ emancipationem ſemper exſpiravit, fuit exemta. Illud interim ex allato Taciti loco obſervari dignum, qvod flaminis Dialis uxores, etſi publico & ſacro funge-


fungerentur munere, etsi in cæteris, teste Tacito *(loc. cit.)*, pari cum Vestalibus honore mactarentur, qvas virgines sancti muneris dignitas ab imperio patrio, cui nulla non virgo obnoxia fuit, reddidit immunes, a solita mariti potestate nevtiqvam eximerentur. Ad Boreales autem ut regrediamur, *eorum instituta* priscis Romanorum hac ex parte satis congrua, *foeminis nullam functionem publicam, nisi sacram, concessisse* reperiemus. Regnorum horum Borealium historiam; sacris christianis in septentrionem nostrum introductis anteriorem, qvalis hodieqve superest, qvi excusserit curatius; inveniet, opinor, regum solia, sellas magistratus, & tribunalia judicum, foeminis raro aut nunqvam patuisse. Et vel ipsa, qvæ historiam præcedit, mythologia Borealium testatur, deos solos belli tempore duces, domi judices & imperantes egisse. Nec unqvam vel regimini subditorum, vel præliis aut conflictibus se, dum viverent, immiscuerunt, nec in deorum crepusculo se immiscebunt deæ Borealium; hac in re græcanicis deabus perqvam dissimiles, qvarum fortitudine muliebri Juppiter, reliqviqve dii mares, sæpe eguerunt & usi sunt. Deabus certe, dum viverent, nihil functionis publicæ, præter sacrificiorum curam, tribuit Snorrius; vid. *Heimskr. T. I. Hist. I. Cap. VII. p.* 12. Cæterum, qvam ab imperio muliebri abhorruerint Boreales prisci, nihil magis ostendit, qvam qvod principis sui prius filio, ex pellice sordida, & haud dubie interdum mendaci, nato, qvam filiæ ex legitimo & illustri thoro, indubiisqve natalibus progenitæ, rerum summam toties tradiderint. Jura sexus supergressas Borealium Pallades sive Amazones, supra memoratas, non moramur. Has enim, præ-

occupato virorum officio, arma tractasse, exercitus classesqve ductasse, provinciis dominatas esse, non magis mirum aut legitimum, qvam sicubi servi cum dominis bella gessisse, aut vel canes, si qva fides, regionibus imperasse leguntur. Post bellum Bravicum Sigurdus Ringus Hetham Sialandis præfecit. Illi autem *foemineis parere legibus probrosum rati, Olonem accedunt, postulantes, ne clarissimi regis militiæ assvetos muliebri jugo obnoxios haberi pateretur. Præterea ad ipsum se defecturos, si pro conditionis illorum deformitate tollenda arma susciperet, pollicentur.* Hæc verba Saxonis, (*Hist. Dan. Libr. VIII. pag.* 147.), mores & judicia temporum declarant. Qvod vero de summo valuit imperio, id etiam de inferiore magistratu foeminis prohibito, absqve errandi periculo dici posse persvasum habemus. Templorum autem & sacrificiorum curam mulieribus subinde demandasse Boreales, easqve exinde, *hof-gydior*, vel *blót-gydior*, ɔ: *templorum aut sacrificiorum antistitas* dictas fuisse, ex historiis probatu facile. Snorrius in *Heimskr. T. I. Hist. I. Cap. IV. p.* 8. refert: *Dóttir Niardar var Freya, hon var blótgydia.* i. e. *Filia Niördi erat Freja; illa facta est sacrificiorum antistita.* Nec non, *loc. cit. Cap. XIII. p.* 16. *Freya hellt þá upp blótum, þvíat hon ein lifdi þá eptir godanna;* ɔ: *Freja tunc temporis sacrificia rite curabat, sola qvippe diis omnibus tum superstes.* Nunqvam tamen Freja Svecis imperitasse legitur, etsi sola diis reliqvis, ideoqve & patri & fratri, qvi Svecis dominati fuerant, superstes. Apud Biarmos etiam, qvos eosdem cum Borealibus deos coluisse *Vita Sturlogi Laboriosi, Cap. XIX.* testatur, antistita foemina templo præfecta fuit. Qvocum etiam *Herrodi*

&

& Bosii Historia, eadem fere referens, conferri potest. Nec abludit *Vita Fridthiofi Vegeti*, qvæ in festo dearum sacrificio, qvod *dísa-blót* veteres dixere, reges ipsos, regumqve uxores, sacris ministrasse perhibet, *Cap.V. Voro þá kóngar at dísa-blóti, oc sáto vit dryckio; eldar voro á gólfino, oc sáta kóngar vit eldana, oc baukudo god sín; enn sumir smurdo oc þerdo med dúkom;* ɔ: *deabus sacra peragentes reges, compotationi (festæ) vacabant. In pavimento ignes succensi, ad qvos reges deorum suorum simulacra torrebant; eadem vero alii ungebant & abstergebant mantilibus.* Hi autem reges erant Helgius & Halfdanus fratres, Beli filii. Idem porro auctor paulo inferius: *þegar Fridþiófr geck utar eptir gólfino, sá hann bringinn góda á hönd kono Helga, þar hún bakadi Baldr vid eldinn. Fridþiófr tók til bríngsins, enn hann var fastr á hendinni; oc dró hann hana utar eptir gólfino; enn Baldr fell á eldinn. Kona Hálfdanar geck skiótt til hanns; ok fell þá þat godit á eldinn, sem hún hafdi bakat. Lystir nu eldinom á bædi godin, enn þau voro ádr smurd, oc þadann úti ræfrit; sva húsit tók at loga;* ɔ: *Fores cum repeteret Fridthiófus, annulum eximium, (qvem Ingebiargæ ipse dederat), in manu uxoris Helgii, qvæ Balderum (deastrum) ad ignem torrefaciebat, conspicatus est. Fridthiofus, annulo apprehenso, cum manui adstrictus hæreret, gestatricem per pavimentum ad fores secum pertraxit, adeo ut Balderus interim in ignem corrueret. Hunc ereptura cum Halfdani uxor accurreret, simulacrum, qvod ipsa torruerat, manibus elapsum igni permisit. Ambo igitur simulacra, utpote nuper pollincta, ignis corripuit, flammaqve illico ad tegulas glomerata delubrum incendio*



brevi involvit. Hinc patet, principibus foeminis, etiam maritatis, non ſecus ac flaminicæ Diali, rem ſacram apud Boreales facere olim permiſſum. In Iſlandia qvoqve, haud longe a primis occupatæ inſulæ temporibus, binas templorum antiſtitas *(hofgydior)* invenio; qvarum unam Thuridam nominat Landnama, *P. IV. Cap. X. p.* 308. alteram, nomine Steinvaram, Hiſtoria Vopnfiördenſ. *Cap. V.* commemorat. Nevtra tamen judicis aut magiſtratus officium geſſiſſe *(haft manna-forrád)*, ſed templi tantum ædem, ſacra & reditus curaſſe videtur. Hoc exinde colligo, qvod, cum tributum templo ſolvendum negaretur, Steinvara Brodd-Helgii, viri in tribulium magiſtratu conſtituti, auxilium imploraverit. Mulieri igitur parere priſcorum Borealium genio utiqve adeo repugnabat, ut, qvamvis fuerint foeminæ, qvæ publicis negotiis ſe immiſcuerint, qvalis Thyra Dannebod in Dania, vid. *Hiſt. Ol. Trygv. ed. Scalh. P. I. Cap. LXXIII. ſeqv.* Gunhilda Regum-mater in Norvegia, vid. *Heimskr. T. I. Hiſt. V. Cap. I. ſeqv.* Thorbiarga, vid. *Vit. Gretteri Rob. Cap. LIV. p.* 128. & aliæ, tamen non propria, ſed maritorum aut filiorum auctoritate, magisqve uſurpando qvam jure, id feciſſe dicendæ ſint.

8) Qvoniam Borealium uxores in poteſtate maritorum fuerunt, jure filiarum, ut videtur, gaudentes, *maritos viciſſim cujusmodicunqve patrocinium & tutelam uxoribus debuiſſe* nihil mirum. Dotem uxoris Thyræ a rege Buriſlafo, qvem maritum illa deſeruerat, repoſcere, ſuum agnovit Olafus Trygvinus N. R. popoſcitqve expeditione ſibi & Norvegis fatali; vid. *Heimskr. T. I. Hiſt. VI. Cap. C. p.* 300. *ſeqv.* Pro vul-

vulnere Ejulfo a Thordisa, cujus fratrem occiderat, inflicto, multam pecuniariam maritus Börkus expendit; vid. *Vit. Gislii Surs. Cap. XXXV. p.* 178. Domesticorum cædes, jussu uxorum alternatim patratas, aliqvoties redemerunt mariti Nialus & Gunnarus; vid. *Niala, Cap. XXXVI—XLIV.* Furtum Halgerdæ cum rumoribus vulgari coepisset, fratrem suum Gunnarum, Halgerdæ maritum, Kolskeggus sic alloqvitur: *Þú man þyckia skyldazr at bæta fyri kono þína, oc þycki mer rád, at þú farir at finna Otkel oc biódir bönom gód bod. Þetta er vel mælt, segir Gunnar, oc skal sva vera;* ɔ: *Uxoris culpam redimere tui vel maxime res officii habebitur; auctor igitur tibi fuerim, ut Otkelum convenias, æqvasqve damni resarciendi conditiones illi offeras. Cui Gunnarus: monitum honestum effectui dabitur;* vid. *Niala, Cap. XLIX.* Cum vero oblatas litis amice componendæ conditiones Otkelus rejiceret, Gunnarumqve & uxorem furti postulatos in jus vocaret, actionem oblata monomachia peremturus fuit Gunnarus. Qvod cum pars adversa rescivisset, litis æstimationem Gunnari ipsius arbitrio permisere; vid. *Niala, Cap. XLIX—LI. Uxoris* etiam qvamcunqve *læsionem & contumeliam tentatam refellere, factamqve vindicare mariti fuit.* Hinc cum in convivio qvodam ignominiam & opprobria passa sibi Halgerda videretur, his ad vindictam verbis maritum accendere frustra conabatur: *til lítills kemr mer, at eiga hinn vaskazta mann á Islandi, ef þú hefnir þessa eigi Gunnar;* ɔ: *Tibi vero, Gunnare, viro in Islandia manu promtissimo, nupsisse, si hoc non ulcisceris, parum mihi prodest;* vid. *Niala, Cap. XXXV.* Divortium marito Thorvaldo minabatur Freydisa, ni, qvam sibi factam mentie-




mentiebatur, contumeliam ulcîsceretur: qvibus virum adeo commovit, ut in innocentes cæde grassaretur; vid. *Heimskr. T. I. Hist. VI. Cap. CXX. p.* 323. 324. Cum injuriam qvamlibet uxori factam graviter ferre & punire solerent Boreales, nihil tamen vel acerbius pupugit maritos, vel audacius vindicari svevit, qvam thori maritalis pollutio, sive uxori vis illata fuisset, sive ipsa ad adulterium seducta. Hanc enim contumeliam etiam rebellione ac cæde principis sæpius ulti sunt subditi; vid. supr. *§. XX. Not.* 13. conf. *Vit. Thordi Hrædæ, Cap. II. p.* 60. Inter privatos etiam hæc injuria, si fieri posset, cæde moechi, ac, ni vis uxori illata esset, ipsius etiam repudio plerumqve constitit. Qvin & zelotypia interdum & levis mariti suspicio homicidiis freqventem præbuit occasionem; vid. *Petr. Fridr. Suhms Hist. af Daunem. Tom. I. pag.* 467. conf. *Heimskr. T. I. Hist. I. Cap. XXIV. p.* 29. *Hist. Ol. Trygv. P. II. Cap. LXIX. pag.* 248. *seqv. Vit. Viga-Glumi, Cap. XXI. p.* 220. *Vit. Kroka-Ref., Cap. XII. p.* 61. 62.

§. XXX.

Nunc qvosdam matrimonii effectus a parte uxoris dabimus. Nimirum legitime sponsa mulier per justas nuptias fiebat *materfamilias, Husfreyia* (1), & *jus matronale* nanciscebatur. Ad jus illud matronale pertinebat, I) *dignitatis* & honorum *mariti communio;*

II)

II) *poteſtas clavium*; III) *poteſtatis herilis*, & IV) *patriæ participatio*; V) *facultas legitime divertendi;* & deniqve VI) *jus dotem poſt divortium aut mortem mariti*, vel *partem bonorum per ſponſalia ſtipulatam retinendi*. Eqvidem inter omnes, ut opinor, gentes uſu venit, ut qvo maritus jure naſcendi, officio, auctoritate vel opibus, inter cives plus polleret, eo qvoqve major uxori haberetur honor. Hoc in *conviviis* (2), *ſpectaculis* (3), & qvocunqve *ſolenni foeminarum conſeſſu* a priſcis Borealibus obſervatum. De poteſtate clavium in antecedentibus dictum (4). *Familia domeſtica* famulos (*verk-menn*), famulasqve (*grid-konur*), ſervos (*þrælar*), ſervasqve (*ambáttir*), nec non liberos continebat. Jus igitur in familiam poteſtatem & herilem & patriam importabat. Qvamvis vero *ſuprema in familiam poteſtas penes patrem familias*, qvi *caput* erat *familiæ*, eſſet, fieri tamen non potuit, qvin *uxor*, cui tam ad diſpenſationem penuariam ſeu poteſtatem clavium utiliter exercendam, qvam ad educandos liberos, familiæ obſeqviis erat opus,



opus, *divisam cum marito in familiam potestatem haberet.* Poterat utiqve uxor, absente præsertim vel consentienre marito, famulos famulasqve conducere (5), conductisqve, uti & servis ac liberis operas imperare (6), & familiam universam regere, castigare, proqve meritis punire & remunerari (7). Suis tamen limitibus ista matris familias in familiam potestas erat circumscripta. Fuit enim, qvod matri familias in familiam non liceret; qvippe nec operas ad cædem conducere, nec conductis, servis, vel liberis, homicidia, furta, rapinas, aut alia flagitia imperare potuit (8), nec in mancipia jus vitæ & necis habebat, aut ea manumittendi jure gaudebat, utrumqve enim soli servorum domino licebat (9); nec cædis aut criminis capitalis reos & aliunde profugos in tutelam recipere poterat (10); nec in peccatis liberorum connivere, nec eos injussu mariti vel exponere, vel exponendos alere, vel mancipare; nec filias in matrimonium dare uxori licebat (11). *Jus matronale* retinebant *viduæ*, *qvæ* viris mor-

mortuis *familiam alebant ;* earumqve major in familiam, qvam uxorum, qvæ in manu mariti fuerunt, poteſtas erat (12); nec enim tantum tutori in viduam, qvantum marito in uxorem licuit. Plus etiam nobiliori qvam ignobili uxori uſu licuiſſe videtur (13). Etſi autem nunqvam non fuerint *uxores imperioſæ*, qvæ jura maritorum uſurparent, id tamen marito indulgente & connivente magis, qvam ex juſto factum cenſeri debet (14). De Jure tam divertendi (15), qvam dotis, vel pactæ bonorum partis poſt legitimum divortium vel fata mariti herciſcendæ, ſupra egimus (16).

1) Qvemadmodum *patrem familias*, qvi reſpectu uxoris maritus, liberorum pater, & operarum herus fuit, priſci Boreales, *bonde*, dixerunt, honeſtiſſimo olim nomine, & ſolis ingenuis, imo principibus interdum viris, (vid. *Heimskr. T. II. Hiſt. VII. Cap. LXXIX. p.* 102.), nec diis nunqvam, loci nempe dominis, (vid. *Vit. Fridthioſi, Cap. IV.*), dari ſolito, qvi vocis uſus illuſtri Svecorum familiæ Bondeanæ originem dedit; ſic *mater familias*, qvæ viro uxor, liberis mater, & operis hera fuit, olim, *húſs-freya*, Dan. *Husfrue*, unde modernum *Huſtrue*, appellari conſvevit. Vocem hanc a Frejæ deæ nomine deſumtam jamtum obſervavit Snorrius; vid. *Heimskr. T. I. Hiſt.*



Hist. I. Cap. XIII. p. 16. Cæterum cum Freja ſ. *Freya*, ejusqve frater *Freyr*, ut foecunditatis numina olim a Borealibus culta fuerint, fertilitatis notionem utrumqve nomen involvere qvibusdam creditur. Certe *Freyr* & *Freya*, cum vocibus *fræ*, Dan. *Fröe*, *ſemen*, item *frær*, & *friór*, *fertilis*, etymologicæ cognationis qvicqvam habere haud abſurde dixeris; adeo ut Venus illa Borealium *Freya*, qvæ in Edda Snorrii amorem conciliare dicitur, haud ſecus ac illa Romanorum, non viventibus modo, ſed & vegetantibus progignendis præfuerit. Qvin frater cum ſorore, *Freyr* & *Freya*, qvatenus pro diis naturalibus ſumuntur, vel eſſe videntur unum idemqve numen, ſatis qvidem congruum *Barbatæ* Romanorum *Veneri*, qvæ utriusqve ſexus fuiſſe exiſtimabatur: nimirum, cum ad productionem vitæ, tam animalis qvam vegetativæ, utrumqve ſexum concurrere noſſent veteres, ideo numen illud, qvod generationi & foecunditati præfecere, utriusqve ſexus eſſe perſvaſum habebant: horſum verba Virgilii nonnulli referunt, de Venere Æneæ matre loqventis: *Ducente deo flammam inter & hoſtes Expedior. Æneid. Libr. II. v.* 632. Vel, qvo tempore naturam pro auctore naturæ, nempe aut corpora univerſi adſpectabilis totalia, *ſolem*, *lunam*, *terram*, aut elementa & vires naturæ, ex. gr. *ignem*, *mare* (aqvam), *ventos* (aërem), &c. religioſe colebant majores, *Frejrum* & *Frejam*, qvemadmodum Græci Romaniqve *Phoebum* & *Phoeben* ſ. Apollinem & Dianam, ut ſymbolica *lunæ ſolisqve numina* venerati ſunt, qvorum qvippe virtute benefica omnia, qvæ gignuntur, indigere credebant. Alii autem nomina, *Freyr* & *Freya*, *dominum dominamqve* appellative ſignificare autu-

autumant. Sic *Dala-freyr* in Sturlunga, *Dalensium dominum*, & *Biarga-freya* in *Vita Örfar-Oddi*, *rupium dominam* five *oreadem* denotat. Hinc Danorum *Frue*, Germanorum *Frau*, voces cum prifcorum Borealium *Freya*, five originem five vim fpectes, prorfus eædem, nihil aliud qvàm dominam vel heram innuunt. Huic fententiæ patrocinatur ipfe Snorrius, loco *Heimskr. fupr. cit.* *Freya vard þá hin frægafta, fva at med hennar nafni fkyldi kalla allar konor tignar, fva fem nú heita fruvor. Sva heitir oc hver Freya yfir finni eign, enn fú húfs-freya er hú á.* ɔ: *Maximam celebritatem tum adepta eft Freja, tantamqve, ut ejus nomen foeminæ omnes referant illuftriores, qvæ nunc Fruvor (dominæ) audiunt. Sic qvævis foemina, eorum, qvæ poffidet, Freja (domina), ea autem, qvæ oeconomiæ domefticæ eft domina, husfreja vocatur.* Luculentus fane locus, & qvi notionem vocis, *húfs-freya*, ex mente veterum fimul definit. Nimirum *húfs-freya, (mater familias)*, Snorrio eft, qvæ oeconomiam domefticam poffidet & curat; qvod cum absqve minifteriis fieri neqveat, *husfrejam* vocamus, qvæ familiam domefticam alit, five id vivente marito uxor, five viro mortuo, vidua faciat. Hæc autem notio vocis, *húfs-freya*, in hiftoricis majorum monumentis ubivis fere obvia, exemplis alterius adftrui non eget.

2) *Convivia* majorum *varia* fuere; vel 1) *pro fine* diverfo, ex. gr. *blót-veitfla*, *convivium facrum*, five *facrificatorium*; *feftar-öl*, *convivium fponfalitium*; *brúd-kaup*, *nuptiæ*; qvod non coëmtionem, ut qvibusdam vifum, hæc enim ad fponfalia pertinebat, fed *acceptionem fponfæ* folennem, vi vocis fignificat; verbum enim,

 at

at kaupa (*capere*), non tantum *emere*, ſed etiam *accipere* denotat: *erfi*, vel *erfis-öl*, *convivium parentale*, ſive in honorem mortuorum; *beim-bod* & *vina-bod*, *convivium amicum*, &c. Vel 2) *pro tempore*, qvo celebrata ſunt; ex. gr. *hauſt-bod*, *convivium autumnale*; *jóla-bod*, *convivium jolenſe*, &c. In omnibus his conviviis eum diſcumbendi ordinem, ut, qvi cujusqve dignitati conveniret, convivis locus daretur, qvod, *at ſkipa maunnom i ſæti*, *diſponere convivas*, dici ſolebat, obſervarunt Boreales. Viri in ſcamnis lateralibus (*á lángbeck*), foeminæ in intima ædis parte in tabulato transverſo, (*á palli*), ſegreges plerumqve ſedebant. Priſcus hic Borealium ordo in *Vita Gunnl. Vermilingv. ed. Hafn. Cap. XI. Not.* 53. *p.* 138. *ſeqv.* non copioſe modo & erudite deſcriptus, ſed ſcite etiam depictus viſitur. Hic *viris pro officio, autoritate & natalibus, foeminis autem pro mariti, ſi nuptæ, innuptis pro patris dignitate, ſua ſedes aſſignabatur*; unde muliebris nonnunqvam æmulatio, rixarum, & inter viros homicidiorum ſubinde mater, enata legitur. In convivio Bergthorshvolenſi Thorhallæ locum a matre familias Bergthora concedere juſſa Halgerda Gunnari uxor, rem graviter adeo tulit, ut jurgiis primum & opprobriis, mox reciprocis domeſticorum cædibus hæ viragines certaverint; vid *Niala, Cap. XXXIV. ſeqv.* In convivio Hiardarholtenſi, cum, qvo ordine diſponi foeminæ deberent, qværeretur, reſpondit Kiartanus: *Hrefna ſkal ſitia i öndvegi, oc vera meſt metin at allri þiónuſto, á medan ec er á lifi.* :): *Hrefna ſedem primariam occupato, illiqve omnium primas, qvamdiu ego vixerim, miniſteria deferunto.* Hrefna hæc Kiartani fuit uxor; primariam autem foeminarum in conviviis


viis sedem, Hiardarholti & alias occupare sveta fuerat Gudruna Osvifi filia, Bollio tunc nupta. Qvæ cum hæc Kiartani verba audiret, iram, qvam gravem animo conceptam mutato vultus colore testabatur, silentio tunc qvidem compressit, qvæ tamen insecutis injuriarum mutuarum vicibus sensim exarsit, nec nisi cæde Kiartani demum restincta fuit; vid. *Laxdæla, Cap. L. seqv.* Nec aliter de primatu & prærogativa maritorum, & sua illinc pendula, duæ magnatum uxores, Geirlöga & Thorlöga, in convivio nuptiali contendebant: Unde magna simultatum & homicidiorum seges pullulavit; teste *Reikdæla Mst.*

3) Spectacula *veterum Borealium* diversa fuerunt & multa; nulla tamen scenica vel histrionica, sed pro ingenio populi mascula & asperiora. *Horum triplex* ego *genus* constituo; fuerunt nempe, 1) *Ludi*, 2) *Exercitia militaria*, & 3) *Pugnæ*.

I) *Ludos* habuerunt Boreales vel *publicos*, vel domesticos & *privatos*. *Ludos* autem *privatos*, ex. gr. *latrunculorum*, *aleæ*, *musicos*, &c. qvoniam pro spectaculis haberi neqveunt, horsum referre nolumus. *Inter ludos publicos*, qvi qvidem nobis innotuerint, freqventissimi fuerunt seqventes.

1) *Skinn-drâttr*, *ductus corii.* Hujus meminit *Laxdæla*, vid. *Cap. XLIIX.* ubi ad colludendum sollicitatus Kiartanus respondit: *Lítt hefic tamit mic vid leika um hríd hit næsta; því annat var tídara hiá hird Olafs kóngs, enn vera vid skinn-drætti;* ɔ: *Aliqvanto elapsi proxime temporis intervallo ludis parum me exercui; alia enim negotia Olafi regis satellitibus freqventiora, qvam coriis ductandis vacare.* *Hujus* ludicri *duo* statuenda sunt *genera*;

 unum

unum nempe *hrâſkinns-leikr*, alterum *reîp-dráttr*. a) *Hrâſkinns-leikr*, ſive *ludus crudi corii*, antiqvisſimus ille, & non ad heroïca ſolum, ſed ad gigantea etiam tempora referendus, univerſe *triplex* fuiſſe videtur. α) Nimirum *crudas* animantium, ex. gr. taurorum, urſorum, eqvorum, recens mactatorum pelles viri *in diverſa* ſummo niſu *ductabant*, usqve dum corium vel rumperent, vel unus alteri extorqveret. Et hoc fuiſſe vetuſtiſſimum & vulgare corii ductandi, ſive ludicri, qvod *ſkinn-dráttr* vocatur, genus, vel ipſum nomen innuit. β) Alterum in aula Frothonis III. D. R. uſitatum refert Saxo, vid. *Hiſt. Dan. Libr. V. p. 75. Vernæ regis, ut ludibrio venientem exciperent, lubricam limini ſubſtravere pellem. Qvam ingrediente Erico celeri funis tractu corripientes lapſum inſiſtenti feciſſent, ni Rollerus pone ſubiens pectore nutabundum exciperet fratrem. Ericus itaqve ſemifuſus, nudum habere tergum fraternitatis inopem, referebat.* Hoc vero ludibrium, ludum qvendam vulgarem fuiſſe, & res ipſa ambigere prohibet; & inſecutum Frothonis dicterium: *corium meretur, qvi corio concidit;* vid. *loc. cit. p. 77.* Vetus enim adagium eſſe credo; adagio autem ludus originem dedit. Qvemadmodum vero antiqvior pleraqve apud Saxonem, ita hæc Erici Diſerti hiſtoria, veteris lingvæ danicæ adagiis eſt refertiſſima; qvod vel locus ſupra allatus teſtatur. Illa enim Erici: *nudum habet tergum fraternitatis inops*, qvid qvæſo aliud, qvam vetus verbum: *ber er hver á bakenu, nema bródr eigi;* qvod danice dederis: *bar er hver paa Ryggen, ſom ikke har en Broder.* Hanc autem gnomam, alias notisſimam,


ſimam, qvæ Grettero, ictu lethali percuſſo excidit, vid. *Vit. Grett. Rob. Cap. LXXXIIX. p.* 154. hic in tranſitu ideo notavi, qvia in notis Stephanii præter morem non eſt obſervata. Ecqvam autem cum hoc ludicro coriario convenientiam habeat ludus vernaculus, Stephanio, in *Not. ad Sax.* memoratus, qvi, *at drage Katte-ſkrud*, hodieqve vocatur, definire non auſim. γ) Tertia ludi, *hráſkinns-leikr* dicti, ſpecies erat, qva *crudas* animantium *pelles* complicatas & *conſtrictas in pilæ modum* inter ſe *jactabant*. Hic ludus pervetuſtus, & circa religionis chriſtianæ in Septentrione initia obſoletus, dudumqve ſolis gigantibus in conviviis uſitatus perhibetur; vid. *Vit. Geſti Bardi f. ed. Hol. Cap. III. p.* 174. b) Aliud porro ductandi corii genus, & qvidem recentius, vel ſaltem diutius exercitum, fuit *reip-drátt*r, *ductio funis*; funes enim ex coriis in Septentrione fieri ſolitos notiſſimum. Funis ductandi ludicrum vel *ſtatarium* vel *curſorium*. α) Statarii gemina qvoqve ſpecies, parvo qvidem diſcrimine. Aut enim *circulum funalem*, aut *funem ſimplicem* inter ſe diſtendebant. ℵ) Prius, *at toga haunk vid einn*, dicebatur. Hoc ludi genere cum Weſtmaro, vita pignori poſita, certavit Ericus Diſertus, teſte Saxone, in *Hiſt. Dan. Libr. V. p.* 78. ubi ludus ipſe ſatis accurate ſimul deſcribitur: *Qvo viſo, Weſtmarus verbis ſuperiorem viribus inceſſere ſtatuit, vincentis præmium in victi nece conſtituens, ut utriusqve ſalus in pignore poſita videretur. Nec Ericus conditione uti abnuit, ne lingva qvam manu promtior exiſtimari poſſet. Erat autem tale certaminis genus:* Circulus *vimine vel fune contextus,*



magno pedum manuumqve conatu decertaturis raptim distrahendus exhiberi solebat, fortiori tribuens palmam: qvem colluctantium siqvis alteri detraxisset, victoria donabatur. In qvem morem agonizans Ericus, correptam acrius restem manibus concertantis excussit. Eodem qvoqve certaminis genere cum Sveino Estritio D. R. contendere, colluctantiqve *ansam funalem extorqvere, (toga af haunom haunkina)*, sibi per qvietem videbatur Haraldus Severus N. R. cum rege Dano postridie deprœliaturus; qvod somnium, utpote faustum victoriæ omen, militibus solers imperator exposuit, neç vanus fuit somniator, teste *Historia Norvegica Mst.* ב) Si vero *funem simplicem*, vel unum vel duos, nimirum sua singulos manu *distenderent*, *at draga reip vid einn*, speciatim vocabatur, ita tamen, ut hac nomenclatura latius sumta ludus uterqve appellaretur. Ludicrum illud, *Funiculorum Certamen*, vocat & describit Saxo, eoqve Ericum Bonum D. R. sòlum non singulos, sed qvatuor simul robustissimos collusores superasse narrat; vid. *Hist. Dan. Libr. XII. p.* 224. *Nec minori robore funiculorum certamen exhibuit. Qvippe unum dextra, alterum sinistra continens, eorum extrema qvatuor præstantibus robore viris ex adverso distrahenda commisit. Qvibus eum neqvicqvam sede sua detrahere laborantibus, ipse funem utrumqve modo dextra, modo læva corripiens, ingenti fortitudine effecit, ut aut tenentibus restim excuteret, aut eosdem ad se magnopere renitentes appelleret, funemqve ducere neqveuntes seqvi cogeret.* Uterqve hic ludus locum fecit adagio veteri: *vandt er vit ramann reip at draga*; qvod Saxo, *loc. cit.* vertit:

vertit: *arduum contra fortem fune contendere*. Fuiſſe qvidem Romanis ludi genus, qvod, *funem* ſive *reſtim ducere* vocabant, auctorum qvorundam loca monſtrant. Habuerunt enim Romani mutuum, per funem intermedium in diverſa diſtentum, vires periclitandi certamen; adeoqve cum *funiculorum certamine* Borealium, Saxoni memorato, prorſus idem. Nec aliud præ ſe ferunt verba Tertulliani, vid. *Libr. de Pudicitia, Cap. II. Sed non decet ultra de autoritate ſcripturarum ejusmodi funem contentioſum alterno ductu in diverſa diſtendere.* Cui congruit *Joh. Salisb. de Nug. Curial. Libr. III. Cap. VIII. Aut ſi nomen comoediæ gratioſius eſt, non duco contentionis funem, dum conſtat inter nos, qvod totus fere mundus, juxta Petronium, exerceat biſtrioniam.* Satis etiam ſimilis fuit puerilis Romanorum ludus, qvo, *reſtim ducere* dicebantur, dum *ſparteam reſtim tamdiu inter ſe trabebant, donec aut rumperetur, aut alteruter, omiſſa funis prehenſione, in nates caderet;* obſervante J. Scaligero, & J. Fr. Gronovio. β) *Curſorium funem ducendi exercitium* Romanis fuit ſaltationis qvædam ſpecies; genus nempe choreæ, qva pueri & puellæ manibus invicem conſertis, longo ordine ſaltabant; qvemadmodum commentatur Dacieria in verba Livii, *XXVII.* 37. *In foro pompa conſtitit, & per manus reſte ducta virgines ſonum vocis pulſu pedum modulantes inceſſerunt.* In hoc igitur ludo, manibus funem tenentibus, ſaltare ſolebant. Choreæ princeps & *præſultor* funem duxit, qvem alii præeuntem ſeqvebantur. Ad ejusmodi choream, qva manus inter ſaltandum jungebantur, reſpicit Horat. *Carm. II.* 12. 13.

Cva



Qvam nec ferre pedem dedecuit choris,
Nec certare joco, nec dare brachia,
Ludentem nitidis virginibus, ſacro
Dianæ celebris die.

Et multo clarius idem auctor. *Ep. I.* 10. 47.

Imperat aut ſervit collecta pecunia cuiqve,
Tortum digna ſeqvi potius qvam ducere funem.


Eodem etiam ſpectant verba Terentii. *Adelph. Act. IV. Sc.* 7. *v.* 34. *Tu inter eas reſtim ductans ſaltabis.* Enimvero nec illam reſtim aut *funem ducentium choream* veteres Boreales ignorarunt. Huic certe perqvam ſimile ludi genus habuerunt, *bring-brot* vocatum, qvod dan. *Ringbrud* ſonaret. In hoc ludo longus ſaltantium ſive curſantium ordo in orbem fere curvatur; manus omnium in ſeriem conjunctæ per alternatas ſucceſſionum vices a proximis binis ſurſum levantur, ſubter qvas omnibus ludentibus aliqvoties transeundum. Præſultoris partes maxime laborioſæ, qvi, dum ludum aperit, *at brióta bringinn*; ɔ: *orbem frangere*, dicitur. Ludi hujus mentionem facit *Vita Armanni*, qvæ *Hrapſöæ* ante biennium in lucem prodiit; hiſtoria qvidem valde fabuloſa, nec tamen heri aut nudius tertius conficta, & ſatis idonea teſtis rei, cujus etiam nunc reliqviæ, qvas ipſe puer vidi, in Iſlandia ſuperſunt. Hujuſce ludi aliqvalis ſimilitudo in modernis *choreis*, qvæ *Anglicanæ* dicuntur, obſervatur reliqva. Qvo autem cognationis gradu antiqvam hanc Borealium choream, *bring-brot*, contingat ludendi modus, qvi dan. *at dandſe Harpeſkrep med et Haandklæde imellem ſig*, nominatur, (vid. Stephan. *Not. in Sax. loc. ſupra cit.*), meum qvidem

qvidem judicium interponere neqveo, utpote qvi iftud ludicrum non viderim. Fallor autem, nifi antiqviffimus Græcorum κορδαξ & κορδακισμος in Borealium *bring-brot* recognofcitur; qvod *genus faltationis laboriofum* Athenæo, *turpe & inconditum*, ut pervetufta & obfoleta fere omnia, Svidæ dicitur. Unde Ariftoph. *in Nub.* ουδε κορδακ' ειλκυσον. vid. *Schol.* Verum illud, κορδακα ελκειν, *manibus nexis in orbem faltare*, explicant viri docti, & cum reftis ductandæ ludo, de qvo fupra, comparant; conf. S Pitifci *Lex. Ant. Rom. ad voc. Reftim.* Utiqve & rem & nomen nota Romanis fuiffe docet Petronius, 52. *Trimalchio: nemo, inqvit, veftrum rogat Fortunatum meum, ut faltet; credite mihi, cordacem nemo melius ducit.*

2) Erat qvoqve ludus convivalis pervetuftus, fed gigantibus & athletis, ut videtur, folis ufitatus, *hnútukaft* dictus; qvo *jactis offium nodis femet invicem* ex adverfo accumbentes inter menfam *impetebant*; jacta vero offa inter volandum excipiebat adverfarius, & retorqvebat. Hoc in aula Rolfi Krakii D. R. inter menfas nuptiales factitatum refert Saxo, vid. *Hift. Dan. Libr. II. p.* 30. conf. *Vit. Gefti Bardi f. Cap. V. p.* 176.

3) In conventibus domefticis celebrioribus id genus præfertim athletæ, qvi, qvod absqve bellicis corporis muniminibus prælia inire folerent, *berferki* vocabantur, fpectaculum interdum edidere, qvod *pervadendæ flammæ periculum, at vada loganda eld*, dici confvevit; conf. *Hift. Ol. Trygv. P. II. Cap. XV. p.* 42. 43. Illud ignis pervadendi difcrimen in aula Atifli Sv. R. cum fuis athletis adiit &

O 5 edidit



edidit Rolfus Krakius; teste *Vita Rolfi Kr.* conf. *Sax. Hist. Dan. Libr. II. p.* 29.

4) *Glíma* sive *fáng, lucta, παλη.* *Lucta* Borealium fuit vel *ludicra*, vel *seria*. *Hæc* certaminis singularis species, qvæ *monomachia inermis* dici meretur, luctantium alterutrius morte finiebatur. Interdum spectaculi publici loco edebatur; & tum in arena luctatoria petra superne acuta erigi solebat, cui uterqve luctantium alterum vel pronum vel supinum illidere, illisoqve vel pectus vel dorsum perfringere satagebant. Ejusmodi petram, qvæ ab usu, *fánga-hella*, i. e. *petra luctatoria*, dici consvevit, domi suæ sæpius habuere latrones, cujus ope hospites viatores obtruncare solebant. Nonnunqvam inter luctandum unus alterum medium complexus, brachiis adeo stringebat, ut spinam dorsi infringeret; qvod, *at gánga* v. *brióta á bak aptr*, vocabatur. Interdum adversarium humi prostratum victor superincumbens elisis faucibus suffocabat, qvod, *at snara úr háls-lidom*, dicebant; vel, si ferri copia non esset, sibiqve ab hoste robustiore, etiam prostrato, superior metueret, dentium morsu gulam frangebat; qvod, *at bíta einn á barka*, vocabatur; vid. *Eigla, Cap. LXV.* Hoc pugnæ genere hospites suffocare solitum Anteum, eundemqve ab Hercule luctando vicissim obtritum poëtæ referunt. Id genus monomachiæ exemplis abundat historia Borealis, qvorum unum alterumve, ubi de pugnis agetur, inferius dabimus. *Lucta ludicra* fuit certamen gymnicum, in qvo luctantium alius alium in terram prosternere sibiqve supponere nitebatur. Eratqve *duplex*, altera *erecta*, qva certantes sese invicem

vicem dejicere ſtudebant, rectiqve manebant; altera *ſuper pavimento.* a) Nec uno modo *ſtantes* certabant. Aut enim confertis brachiis manu apprehenſis, aut mutuo complexu alter alterum medium ſtringebat, manuqve vel utraqve balteum, vel, ſi viri luctarentur, dextra balteum, ſiniſtra braccas, ambo prehendebant. Illa *lucta brachialis*, Borealibus *lauſa-tauk* audiebat; hæc *lucta* in ſpecie ſive *ordinaria, (rett glíma* ſive *fáng*), vocabatur. α) Illa plus virium qvam artis reqvirebat, &, ut ſimplicior, ſic antiqvior fuiſſe videtur. Hæc tamen plerumqve ſingularis fuit. Interdum tamen unus cum pluribus impellendo raptandoqve, *(ſviptingar* veteres dixere), luctabatur. Hæc pancratii ſpecies, a lucta ordinaria prorſus diverſa, & ne lucta qvidem brachialis dici ſatis digna, ad hanc tamen, qvam ad ordinariam propius accedit. Iſtiusmodi luctatione cum duobus ſimul, qvi corporis viribus maxime præſtabant, viris certabat Gretterus Robuſtus; vid. *Vit. Grett. Rob. Cap. LXXVII. pag.* 147. β) In *lucta ordinaria* ars & exercitatio plurimum pollebat, ita ut ejus peritus longe robuſtiorem proſternere, nec ipſe ullo pacto dejici poſſet. Utrumqve luctæ genus Romanis & Græcis olim in uſu & deliciis fuiſſe, qvi horum gymnaſticen, qvinqvertium, & ludos de induſtria tractarunt, auctores ubertim docebunt. Utraqve, & maxime qvidem ordinaria lucta, mutua corporis contorſione, tractu, preſſione, impulſu, aliisqve variis ſupplantandi artibus conſtabat. Non tamen pugnis ſe mutuo cædebant luctatores; unde famoſus ille, & Anglis hodieqve ſatis uſitatus *conflictus luctatorius*, ſive *lucta pugillaris*, certa-



certamen ex lucta & pugilatu commixtum, & pancratii genus habendum, magis antiqvo Borealium *áflog*, (vid. *Niala*, *Cap. XXXVII. p.* 56.), qvam luctæ ordinariæ respondet. Qvemadmodum autem Græci Romaniqve luctatores suas *embolas*, *parembolas*, *paratheses*, *systases* &c. ita multas etiam supplantandi artes Boreales habebant, qvæ omnes generali nomine olim vocabantur *braugd*, dan. *Sving* v. *Sned*; vid. *E. Olavsens og B. Poulsens Reise igiennem Island, T. I. §. 67. p.* 46. Obiter moneo, a vocula *Sned* (*snid*), unde *snedig* (*snidugr*) *solers*, antiqvam vel luctæ speciem, vel technam luctatoriam, *snid-glíma*, compositam videri; vid. *Vit. Jökulli Buji. f. Cap. II. pag.* 183. Reliqvis etiam technis luctatoriis peculiaria fuerunt nomina, qvorum qvædam in scriptis antiqvis occurrunt; ex. gr. *sveifla*, vid. *Grett. Rob. Cap. LXIIX. p.* 141. *laúsa-miödm*, *Vit. Joculli Buji f. Cap. II. pag.* 183. *Hal-krókr*, *loc. cit. Cap. III. pag.* 184. Qvædam etiam nunc in usu; ex. gr. *leggia-bragd*, *kne-bragd*, *klof-bragd*, *rass-bragd* &c. Ejusmodi *strophis luctatoriis* semet mutuo circumvenire & subvertere conati sunt. Palam igitur est, Borealium luctam poposcisse, cum vires & vigorem, tum agilitatem & artem exercitio qvæsitam, uti totius corporis ac artuum, ita maxime pedum, qvi in hoc certamine, cujus finis erat supplantatio, artis fallaciis primum & præcipue tentabantur. Idem qvoqve Romanis Græcisqve luctatoribus moris fuisse, testatur lepidus ille Plauti de vino jocus: *Pseudol. Act. V. Sc.* 1. *v.* 6. *Pedes captat primum, luctator dolosu'st.* Hinc illum, cui pedes ad luctandum arguti & agiles,

fót-

fôt-mikkr; eum autem, qvi torpentes minusqve vegetos pedes haberet, *fôt-fûinn*, Boreales vocabant. b) *Lucta super pavimento* Græcis & Romanis usitata, teste Antyllo *apud Pitiscum*, fuit *pancratium volutatorium, in qvo certantes humi prosternebantur, atqve ibi invicem complicati, seqve mutuo convolventes, alter alterum sibi supponere nitebantur.* Hoc qvidem ludicri genus Borealibus etiam usitatum fuit. Ejus triplex genus mihi notum: nempe, *lucta sedentaria, anaclinopale*, & *reluctatio prostrati s. subjacentis*, qvam veteres *umbrot* vocarunt. α) Inter Erici Boni D. R. artes & exercitia *luctam sedentariam* numerat Saxo, *Hist. Dan. Libr. XII. p.* 224. *Hastæ aut lapidis jactu sedens stantes vincebat: neqve illi situs, qvominus fortitudinis suæ experientiam ederet, officere potuit. Eodem corporis situ ex robustissimis duos lucta aggrediebatur; dumqve alterum attrectaret, alterum genibus compressum urgebat; nec ante destitit, qvam primum hunc, deinde illum pedibus subjiciendo, amborum manus post terga vinciret.* Cum hac Erici R. lucta sedentaria conferri potest illa Græcorum, Aristoteli memorata, (*ap. Pitiscum ad voc. lucta*), qva *palæstritæ in genua subsidentes per pulverem procurrere & luctari solebant.* β) *Luctæ* etiam *brachialis speciem* qvandam ipsemet puer vidi, qvo alter erecte colluctantium se resupinum repente in tergum dejiciens adversarium simul ad lapsum secum detraxit, detractumqve & superincumbentem genibus brachiisqve subito involvit, & sic implicatum circumplexus in latus detorsit, sibiqve suppofuit. In *felinam* hanc *luctam* nescio ecqvid magis apposite qvadret, sensum enim



enim ſubobſcaenum non moror, qvam illud Mart. *Libr. XIV. Epigr.* 201.

Non amo, qvi vincit, ſed qvi ſuccumbere novit,
Et didicit melius την ανακλινοπαλην.

Cæterum ludicram hanc anaclinopalen, ſi ex antiqviorum exemplorum defectu, Borealibus rarius uſitatam fuiſſe concludas, non admodum repugnabo. γ) Serio porro & de vita in loco declivi luctantes ambo ſubinde collapſi in terram ſunt, proſtratiqve ſemet mutuo convolvebant, donec alter alterum, ſive niſu fortiore, ſive caſu ſibi ſubjectum tenere poſſet; qvemadmodum Halfredus poëta & Thorleifus Sapiens, vid. *Hiſt. Ol. Trygv. ed. Scalh. P. II. Cap. XXIIX. p.* 114. Jökullus & Hrolleifus, vid. *Vatnsdæla, Mſt.* Interdum etiam proſtratus tam violenter reluctabatur, ut ſuperiorem fere excuteret; qvemadmodum fecit Thorbiörnus Sleggia, idqve tanto conatu & viribus, ut Fimbogium jam victorem, ſi ſurgeret adverſarius, ſibi metuentem, ad gulam ſibi dentibus frangendam adigeret, qvod alias giganteum & belluinum habebatur, vid. *Vit. Fimb. Rob. Cap. XL.* Proſtratus etiam repugnabat Grimus Ægirius; vid. *Vit. Hrolfi Ped. Cap. XXIII.* Verum *jacentium* hæc *luctatio*, cum neceſſitatis & virium magis, qvam artis fuerit certamen, haud ſcio, an, qvæ lucta ſuper pavimento vocetur, ſatis ſit digna. Luctatorium autem certamen, adeo familiare & proprium Borealibus fuit, ut vel antiqvis Græcorum qvinqvertionibus hac in parte pares & palmam dubiam reddituros fuiſſe, non dubitem. De Starcathero narrat Saxo, *Hiſt. Dan. Libr. VI. p.* 105. *Deinde apud Byzantium invictæ opinionis gigan-*

gigantem Tannam nomine, corporis viribus fretus colluctando devicit, ignotasqve terrarum partes proscripti titulo petere coëgit. Ungventis ad luctam se præparasse Boreales, non comperio. Luctam ludicram pube tenus vel nudi, vel leviter vestiti obibant. Vestes enim, qvæ media corporis texere, ad luctam se componens exuit Gretterus, teste ejus *Vita, Cap. & p. supra cit. Grettir kastadi kublinom oc Þvínæst öllum bolklædom;* ɔ: *Gretterus amiculum, moxqve omnia medii corporis indumenta abjecit.* Et paulo inferius de se ipso Gretterus: *ecki sit ec her lengi klædlaus,* ɔ: *haud diu hic devestitus herebo.* Ad hunc certe locum respexisse videtur Arngrimus Jonæ, de lucta veterum agens; vid. *Crymög. Libr. I. Cap. VI. p. 56. In palæstra viri ac juvenes, experiendi roboris gratia, etiam nudi colluctantur, qvæ consvetudo Spartanorum fuit, nisi qvod nostri pube tenus tantum se denudarent. Illud scilicet ex Olympiacis certaminibus mutuati, ne subligacula exuerent.* Raro tamen proxima corporis velamina aut indusia palam exuisse, sed leviter vestitos luctas ludicras obiisse, & genius populi, & omnia fere, qvæ de luctis agunt, auctorum loca fidem faciunt. In feria autem, si vacaret, crassiore qvodam vestis genere, qvam *fánga-stackr*, i. e. *amiculum luctatorium*, appellabant, adversus violentas colluctantis manus, nonnunqvam se præmuniebant, vid. *Hist. Kialnes. Cap. XV. p. 27.* conf. *Vit. Gunn. Keldugnups-fífl, Mst.* nec non *Vit. Vilmundi Vidutan. Cap. XIV. Mst.* Cæterum tantus apud Boreales luctatorii certaminis olim fuit honor & usus, non ad artus solum & membra exercitio

robo-



roboranda, sed in conflictibus etiam singularibus, si res armis non succederet, vel in solitariis per eremos & sylvas, qvæ latronibus tum scatebant, itineribus, ubi, ne repente & inermes opprimerentur, ars hæc gymnastica multis fuit saluti, ut nihil nimium dixisse existimandus mihi videar, si poëtæ latini de venatione Romanorum verba ad luctam Borealium convertero:

Arctois *solenne viris opus, utile famæ,*
Vitæqve & membris; juvenes cum lucta docebat,
Et flexu felem *superare,* & *viribus* ursum.

5) *Knatt-leikr, ludus pilæ,* σφαιρομαχια, a *knauttr, sphæra lusoria,* sic dictus, qvemadmodum apud Romanos præcipuæ commendationis fuit, qvo viri clari & illustres, Augustus, *apud Sveton. Cap. LXXXI.* 1. Mutius Scævola augur, *ap. Val. Max. VIII.* 8. 3. Dionysius Tyrannus, apud *Cic. Tusc. Qvæst.* 20. studiosissime luserunt, ita Borealibus priscis peracceptus & tritissimus qvod fuerit, ex freqventi ejus mentione apud historicos obvia facile colligitur. Qvinetiam regum olim & principum filios hoc ludi genere delectatos, docet inter alia *Vita Thorsteini Vikingi f. Cap. IX. Mst.* Ubi Niörfii regis & Vikingi Comitis, (de qvibus vid. *Illustriss. Suhmii Hist. af. Danm. Tom. I. pag.* 137.), filii pila colludebant. *Þeir laugdo leika opt med ser kóngs synir oc Vikings synir. — Þat var einn dag at þeir haufdu knattleik kóngssynir oc jarlssynir; geck þá enn med miklu kappi fyri þeim kóngssonum: hlífdiz Þorsteirn þó vid eptir vana. Þeim Jökli oc Þorsteini var skipat saman, enn Olafi oc Þórir, oc sva hverium, sem aldur hafdi til; geck nú sva um daginn.*

daginn. Þat har til at Þórir setti nidr knauttinn sva hardt, at hann stauck yfir Olaf oc kom fiarri nidur. Olafr reiddiz þá, oc þótti Þórir göra leik til sin; sókti hann knauttinn, enn er hann kom aptur, voru menn hætter, oc ætludo heim. Olafr sló þá med knettinum til Þóris; enn er hann sá þat, hlióp hann undir höggit, oc kom knatt-tred i hausudit oc sprack fyrir. Þorsteirn hlióp á milli, oc fleyri menn adrir, oc voru þeir þá skildir, ɔ: *Inter regis Comitisqve filios ludorum certamina mutuo sæpe condicta fuere. — Die qvodam pilæ ludum cum filiis Comitis non sine solito ardore & æmulatione regis filii exercebant, cedente pro more & connivente Thorsteino. Jökullo Thorsteinus, Olafo autem Thorerus committitur; reliqvi pro conditione ætatis compositi hoc die ludebant. Accidit forte, ut pilam solo tanta vi adigeret Thorerus, ut resiliens illa, Olafumqve supervolans procul decideret. Rem in sui ludibrium factam interpretatus Olafus excanduit, & pilam deciduam qvæsiturus discessit. Jamqve finem ludendi fecerunt reliqvi, domum jam cogitantes, cum rediens Olafus pilam in Thorerum contorsit. Hoc videnti, ictumqve subtercurrendo evitaturo Thorero clava pilaris capiti illisa cutem carnemqve pertudit. Intercurrentes cum Thorsteino cæteri eos abinvicem separarunt.* Ad hoc exemplum compositæ, nec exitu dissimiles sunt pleræqve de ludo pilæ auctorum veterum relationes. His igitur fidem facemqve præferentibus debentur, qvæ de isthoc ludicro majorum novimus. Nimirum pila pugno emissa bacillo ligneo ad hoc formato retundebatur. Lignum hoc Romani *clavam* & *flagellum* vocabant, Borealibus



bus autem *knatt-drepill*, vid. *Vit. Grett. Rob. Cap. XVII. p.* 92. *sopp-drepr*, vid *Vit. Vigl. Pulc. Cap. XII. p.* 24. item *knatt-tre (lignum pilare)*, vid. *Vit. Thorsteini Vikingi f. Cap. cit.* & *Vit. Gisl. Surs. Cap. XIIX. p.* 151. dicebatur. Artis erat, pilam ad se missam, ne in terram decideret, vel manu excipere, vel ligno pilari repellere; qvod *pilam volantem geminare* vocabant Romani. Collusores autem illum, ad qvem jacta fuit pila, ne eam excipere posset, vel manu impellere, vel volantem pilam aut ipsi præripere, aut ictu clavæ abigere certabant. Ille vero, qvi ad se volantem pilam manu vel flagello non excepisset, adeo ut ejus culpa intercidisset, pilam humi collapsam ipse qværere & referre debebat; vid. *Vit. Thorsteini Vik. f. Cap. cit.* De Gislio Thorbiörni filio habet ejus *Vita, Cap. XV. p.* 146. *Gisli feldi Þorgrim, oc bar knöttinn út, oc vildi taka af hönum knöttinn, enn Þorgrímr hellt.* ɔ: *Gislius Thorgrimum ad lapsum impulit, ita ut pila extra sphæristerium (ludentium aream) volans intercideret; deinde pilam ei extorqvere voluit Gislius; Thorgrimus autem pervicax retinuit.* conf. *Vit. Thordi Hrædæ, Cap. V. p.* 64. Nec non *Eigla, Cap. XXVI.* item *Hist. Hördi & Holm. Cap. XXII. pag.* 102. Ubi autem pilam factori interceptam flagelli ictu collusor abigeret, *at slá knöttinn út fyrir ödrum* Borealibus, *pilam expellere* Romanis dicebatur. Hoc Grettero Audunus, vid. *Vit. Grett. Rob. Cap. XVII. p.* 92. Viglundus Jökullo, vid. *Vit. Vigl. Pulcr. Cap. XI. p.* 24. fecere. Unde patet, Boreales, non secus ac Romanos, *raptim* & *expulsim pila lusitare* solitos. Enimvero pilam

illam

illam Borealium non vento, instar Romanorum *follis*, nec pilis aut lana refertam, sed *ligneam*, vel saltem perqvam *strictam* & gravem fuisse, exinde conjicio, qvod collusoris humeris impacta hominem grandem & robustum prostraverit; vid. *Vit. Gisl. Surson. Cap. XV. pag.* 146. *Gisli tók knauttinn á skeidi, oc rekr á milli herda Þorgrími, sva hann steípiz áfram.* ɔ: *Gislius intervolantem pilam excipiens, Thorgrimo inter scapulas tanta vi adegit, ut ille pronus corrueret.* Fronti etiam nonnunqvam illisa, vulnus plagamqve tantam edidit, ut cutem carnemqve pertunderet, *(sva sprack fyrir)*; vid. *Vit. Thorst. Vik. f. Cap. cit.* & *Vit. Vigl. Pulcr. Cap. XI. & XII. pag.* 24. & *Vit. Grett. Rob. Cap. XVII. p.* 92. conf. *Eigla, Cap. cit.* Qvi effectus laxis, mollibus & levioribus illis Romanorum pilis vix attribui possunt.

6) *Dannz, saltatio* vel *chorea*, cujus species erat *hringbrot*, de qvo supra. Alia etiam saltandi genera & qvalemcunqve artem exercuisse Boreales, testatur illud stichidion, qvod *omnes virgines cum Ingolfo lubenter saltasse* perhibet; vid. *Hist. Ol. Trygv. ed. Scalh. P. II. Cap. XXI. p.* 81. Saltationes etiam musicas qvod habuerint Boreales, & qvidem Islandi, (in Islandiam vero ex Norvegia & aliunde hæc cum incolis migrasse, plusqvam probabile arbitramur), non meis, sed Arngrimi Jonæ verbis fidem lector habeto; cujus ex *Crymogæa, Lib. I Cap. VI. p.* 57. locum huc transscribere non piget. *Saltationes fuerunt musicæ; ut staticuli & orbis saltatorius. Staticulos voco saltationem ad status musicos concentus; qvæ carmen vel cantilenam, qvasi præceptum saltandi*

 adhibet,



adhibet. Præcinit autem unus: duo pluresve paulo ſubcinunt: reliqvi ad numerum ſ. rythmum ſaltant. Orbis ſaltatorius (Viki-vaki) viris & foeminis alternatim incedentibus conſtabat & qvodammodo interſectis & diviſis. Videtur utrumqve ſaltationis genus, ſaltationis Græcorum ſimulacrum aliqvod referre: & qvidem orbis ſaltatorius, ορμω Lacedæmoniorum non abſimilis: niſi forte hac in re, qvod hic ſinguli ordine cantilenam aliqvam cantant per certas pauſas, dimidiis verſibus, (qvia choro reliqvo, una voce canendo repetuntur) conſtantes: ad finem ſingulorum verſuum, principio vel fine primi verſus reduplicatione qvadam, (aliqvando etiam ſine ea), intercalato. Si plura ſaltationum genera qvis numerare velit, huc tamen referri commode poſſunt. Dico autem ingenuas tantum. Hæc ille. Ego qvidem hæc ſaltandi exercitia ſatis ruſtica & incondita fuiſſe mihi perſvadeo. Veteres enim Boreales, qvorum ars muſica rudiuſcula credi poteſt, magis certos telorum, qvam modulatos pedum ictus curaſſe videntur.

7) *Handſaxa-leikr, ludus* (trium) *gladiorum*, inter artes & exercitia Olafi Trygvini N. R. numeratur. Hoc ludi genus, qvod nobiliores ſoli calluiſſe videntur, deſcribit *Heimskringla, T. I. Hiſt. VI. Cap. XCII. p.* 291. *Olafr konungr lec at þrimor handſöxum, ſva at iamnan var eitt á lopti, oc hendi æ medalkaflann.* ɔ: *Tribus gladiis manualibus (brevioribus) ita ludebat Olafus rex, ut, uno ſemper in aëre librato, retrolabentes omnes capulo prehenſos exciperet.* Hoc ludi genere cum Olafo Trygvino contendebat Endridius Ilbreidus Norvegus, vid. *Hiſt. Ol. Trygv. ed. Scalh. P. II.*

P. II. Cap. LXXV. pag. 265. & 266. nec non Sigmundus Brefteri f. Færöenfis, vid. *l. & p. cit. Cap. XXXIV. p.* 157. ubi tamen gladios, qvibus ludebat, recidentes mucrone prehendiffe rex Olafus narratur. De Gylfio, Asgardum adeunte, habet *Edda Snorrii: Gylfi fá mann í hallardyrunom, oc lec* at *handfauxom, oc hafdi fiögur fenn á lopti.* ɔ: *In aulæ veftibulo virum qvendam confpexit Gylfius, qvi gladios manuales per ludum excuffos verfabat, ita ut qvatuor fimul in aëre volarent.* Sex igitur gladiis fimul ille lufitabat; qvod forte fabulam fapit, antiqvitatem tamen ludi fatis adftruit. Horum dum memini, non poffum qvin Germanorum veterum *ludum gladiorum* afferam, etfi cum Borealium *handfaxa-leik* non prorfus eundem, ad eandem tamen ludorum claffem referri dignum. Hunc autem ita defcribit Tacitus, *de mor. Germ. c.* 24. *Genus fpectaculorum unum, atqve in omni coetu idem. Nudi juvenes, qvibus id ludicrum eft, inter gladios fe atqve infeftas frameas faltu jaciunt, exercitatio artem paravit, ars decorem. Non in qveftum tamen aut mercedem; qvamvis audacis lafciviæ pretium eft voluptas fpectantium.* Verumenimvero, qvi hic Germanorum ludus Tacito tam peregrinus videatur, haud fcio, cum nihil aliud fuerit, qvam fpecies qvædam ludicri pervetufti, Romanis Græcisqve notiffimi, qvam nunc *pyrrhicham*, nunc *faltationem panathenaicam, bellicrepam, enopliam,* auctores vocant, vid. *Alex. ab Alex. Dier. Gen. VI.* 19. Qvodnam vero huic fcriptori mentem male numen amicum eripuerit, ut cum *pyrrhicha enoplica, trojam,* qvæ circenfe fpectaculum ludicrum, eqveftris pugnæ

 fimul-



ſimulacrum fuit, Virgilio, *Æneid. Libr. V. v.* 545—603, deſcriptum, eandem crediditſe, Tranqvillo impingat, augurari neqveo. Certe veterum *pyrrhicha* Germanorum *ſaltationi inter gladios*, qvam Borealium ludo, *handſaxa-leikr* dicto, multo fuit ſimilior.


8) *Sund* vel *ſundfæri*, *natatio* vel *ars natandi*. Hac adeo excellebant Boreales priſci, ut cum marinis etiam feris natando interdum certaverint. Hinc tracta locutio: *ſyndr ſem ſelr*, ɔ: *phocæ inſtar natandi peritus*; vid. *Niala, Cap. XIX.* Supra laudatus Endridius phocam majorem inter natandum prehendit, illiqve velut eqvo inſidens litori advehitur; tandemqve, ne mortuam ſe cepiſſe ſpectantes crederent, vivam dimiſit; vid. *Hiſt. Ol. Trygv. Cap. cit. p.* 263. Duplex artis periculum & honos. Ille viciſſe cenſebatur, qvi vel *longius* ſpatium *natando* transmiſiſſet, vel *diutius ſub aqvis* merſus *duraſſet*. Illud a) *láng-ſund*, hoc b) *kaf* ſ. *kafſund*, (*urinatio*), dicebatur; vid. *Heimskr. T. III. Hiſt. XII. Cap. XXIV. p.* 264. Integrum milliare maris, & ſocio nonnunqvam inter ſcapulas geſtato, natando qvidam emenſi leguntur; vid. *Hiſt. Ol. Trygv. Append. de Sigmundo Breſt. fil. p.* 28. & *Vit. Grett. Rob. Cap. LXXX. pag.* 149. Subter aqvis etiam ſimul luctari moris fuit; durabatqve plerumqve contentio, donec alteruter viribus defectus & pæne ſuffocatus eſſet. Ars autem hæc natandi viris, inter continuos excurſus piraticos & prælia navalia, ſæpe fuit ſalutaris; eamqve non promiſcuæ ſolum plebis homines, ſed nobiliſſimi qvoqve, qvin principes etiam & reges, ad exemplum

Julii



Julii Cæsaris, callere & exercere laudi sibi ducebant. Ejus etiam, qvi reliqvarum fere omnium artium peritissimus traditur, mira sæpe specimina edidit Olafus Trygvinus N. R. multiqve alii; conf. præter *loc. supr. cit.* *Heimskr.* *T. III. Hist. XII. Cap. XXXV. p.* 284.

9) *Hlaup, saltus.* Ad saliendum etiam corpora assvefaciebant Boreales, qvippe qvod exercitium viris militaribus in pugnis & conflictibus, sive ictus, qvos clypeo excipere non poterant, evitare, sive hostes numero longe superiores effugere vellent, egregium sæpe usum præstitit. *Triplex* artis *periculum* fuit, nempe, qvo qvis *altius* aut sursum *exsilire*, aut ex loco edito *desilire*, qvoqve *longius intervallum saltu* sive *prorso* sive *retrorso*, sev deniqve *obliqvo* &, laterali emicando *transmittere* qvis posset, eo plus laudis abstulit. a) Magnam artis peritiam Gunnaro Niala tribuit, *Cap. XIX.* *Gunnar hlióp meir enn hæd sina i lopt upp med öllum herklædum, oc eigi skemra aptur enn fram fyri sik.* ɔ: *Gunnarus cataphractus (universa armatura gravi instructus), in altitudinem, propria proceritate majorem, (septem circiter pedum), nec brevius retrorsum qvam prorsum, corpus saltu libravit.* Emicandi hac agilitate Karius Sölmundi filius, cum a pluribus simul hostibus infestis ictibus peteretur, sæpe sibi consuluit; vid. *Niala, Cap. LXXXV. p.* 125. *XCIII.* 145. *CXLVI.* 245. *CXLVII.* 253. Hördus, nec non Helgius, in ultimo vitæ periculo, triplicem armatorum coronam sibi circumdatam transiliere; vid. *Hist. Hördi & Holmens. Cap. XXXV. pag.* 119. Idem qvoqve fecit Sigurdus qvidam,



manibus ligatis & lethali vulnere faucius, vid. *Hift. Ol. Trygv. ed. Scalh. P. II. Cap. XLII. pag.* 174. Rögnvaldus Brufii filius, Comes Orcadenfis, cum intra ædes cremandus ab hofte cingeretur, orbem hominum circumftantem tranfiliens per tenebras nocturnas evafit; vid. *Hift. Orcad. ed. Hafn. p.* 77. Nimirum hominem erectum, unum pluresve, eqvos, fepta & cancellos, humanam proceritatem æqvantes vel fuperantes, faltu transmittere, freqvens olim junioribus exercitium. b) Qvidam etiam ex loco præalto, rupe aut munimento, corpora faltu demifere, terramqve ftantes pedibus attigere, qvemadmodum Sigmundus Brefteri filius; vid. *Hift. Ol. Trygv. ed. Scalh. P. I. Cap. CXV. p.* 129. Oddus. vid. *Vit. Örvar-Oddi, Cap. XVI. Mft.* & alii fecerunt. c) Amnes porro, foffas & lamas fatis latas fæpe tranfiluerunt. Sic Skarphedinus fluvium *Merkr-fliót*, ripis utrinqve lubrica glacie conftratis, duodecim ulnas latum, aqvisqve adeo altum & rapidum, ut nec eqvis fuperari poffit, faltu trajecit, vid. *Niala, Cap. XCIII.* Amnem etiam, nemini alii hoc modo pervium, faltu fuperare folebat Ketilbiörnus; vid. *Fragm. Hift. Thorfkfördenf. Cap. XVI. Mft.* Foffam triginta cubitos latam Vikingus cataphractus, Niörfius rex leviter veftitus, & Halfdanus ita, ut a Vikingo faliens exciperetur, jurati fratres tranfiliere; vid. *Vit. Thorft. Vik. f. Cap. IX. Mft.* Eandem qvoqve foffam Vikingi filii Thorfteinus & Thorerus faltu transmifere, ita tamen, ut hic a fratre exceptus levaretur, vid. *Libr. cit. Cap. XVI.* Hunc autem faltum humanis, nempe, qvalia nunc hominum producit corpora tellus,


lus, viribus nimium qvis dixerit. Ingentem fossam Sigmundus Bresteri filius, (vid. *Hist. Ol. Trygv. ed. Scalh. Append. pag.* 27.), & lacunam in Frisia populabundus Egillus Skallagrimi f. (teste ejus *Vita, Cap. XLVII.*) soli comitum transiluere.

10) *Skeíd, cursus.* Hoc *certamen varium* & multiplex fuit. Aut enim sola pedum pernicitate, absqve instrumentis subsidiariis currebatur, aut auxilio adscititio pedes egebant. Illud *currendi exercitium* ordinarium & *vulgare,* hoc *artificiale* non absurde dixeris. a) Cursu ordinario tantum valuisse nonnulli traduntur, (cujusmodi habitu gaudentem hominem, *frár, fót-hvatr*, veteres vocarunt), ut vel citatissimos eqvos sola pedum velocitate præverterent. Certamine cursorio publice spectato in Norvegia pignore posito contendit & palmam reportavit Haraldus Gillius N. R. vid. *Heimskr. T. III. Hist. XII. Cap. XXXIV. p.* 282. 283. Istac etiam arte Olafus Trygvinus N. R. vid. *Hist. Ol. Trygv. ed. Scalh. P. II. Cap. XLV. pag.* 182. nec non Sigurdus Slembi-diácn. vid. *Heimskr. T. III. Hist. XIII. Cap. XIV. p.* 323. præcipui fuerunt. b) *Cursus artificialis* iterum *multifarius.* Borealibus enim priscis in usu fuit, *α) cursus salticus bacularis*, qvo uno vel duobus baculis sive perticis corpus librantes saltuatim decurrebant. Hoc currendi modo & specimine eqvos pernicissimos in Dania superavit ante nominatus Haraldus Gillius; de qvo Saxo, *Hist. Dan. Libr. XIV. p.* 248. *Apud Helsingiam oppidum pignore cum Erico* (Emun D. R.) *posito, an cum lectissimis ejus eqvis cursu contendere potuisset, duobus in certamen admissis, utroqve metam*



prior tenuit (Haraldus Gillius). *Geminis sqvidem inter currendum bacillis innixus, crebris corpus saltibus concitavit.* Neqvis autem ex Scotia vel Hibernia, ubi natus & educatus fuerat Gillius, artem illam huc secum invexisse suspicetur, bacularium illud saltuatim currendi exercitium in Septentrione longe antiqvius esse, docent exempla, cum Kolvidi, vid. *Hist. Kialnes. Cap. VII. p.* 12. tum Resi, vid. *Vit. Kroka-Resi, Cap. III. pag.* 39. Ambo enim singulis baculis incumbentes saliendo cucurrere. Hinc profectum crediderim, qvod magnatum cursores, vulgo *Löbere*, baculis salticis etiamnunc sint instructi. β) *Skidfæri*, dan. *Skielöben, cursus xylosolearum.* Ars hodieqve eximia, & vel in bello perutilis, populis septentrionalibus, & imprimis Finnis ab omni memoria familiaris, a qva arte hi*skridfinnar*, nomine apud exteros scriptores varie distorto, (vid. *Steph. Not. in Sax. p.* 26. 27.), olim appellati sunt. Hoc exercitio Norvegorum innumeri qvondam præstabant. Inter alios Einarus Thambaskelfir, (vid. *Heimskr. T. II. Hist. VII. Cap XX p.* 20.), & Arnliotus Gellina, vid. *Libr. T & Hist cit. Cap. CLI. p.* 252. De xylosolearum, qvas *pandas trabes* vocat Saxo, & qvarum usum in Islandiam, ubi haud minus, qvam in Norvegia & Lapponia ad itinera hyberna utilis fuisset, cum incolis non transiisse miror, arte, descriptione, & delineatione consuli inter alios potest toties nobis laudatus Stephanius, *in Not. ad Sax. p.* 126. 127. Artis hujus peritiam tanti fecisse veteres, ut publice spectanda ejus specimina interdum ediderint viri principes, Haraldi Severi N. R. cum Hemingo xylofo-

xylosolearum cursu palam contendentis, huic ob invidiam & æmulationem potentioris tantum non fatale certamen docet; de qvo *historiolæ*, qvæ *Hemings-þáttr* vocatur, *fragmentum* superstes conferri potest. γ) Cursum etiam ludicrum habebant Boreales, qvo, non ligneis qvidem soleis, qvæ ad strata nivium transcendenda aptissimæ, sed *aridis animalium*, boum maxime vel eqvorum, *ossibus cruralibus* pedes armabant, iisqve insistentes *glaciem* lubricissimam volucerrime *perlabi*, & pro lubitu cursus gyrare discebant. Hanc artem qvi callebant, *at kunna á ísleggiom* dicebantur; ejusqve peritiam in æmula cum fratre Sigurdo Hierosolymipeta N. R. comparatione jactabundus sibi laudi ducebat Eisteinus N. R. vid. *Heimskr. T. III. Hist. XII. Cap. XXIV. pag.* 264. Qvin autem hæc vera & simplex artis scitissimæ, qvæ, *at löbe paa Sköiter*, hodieqve dicitur & perplacet, sit origo, nemo temere negaverit. δ) Interdum etiam pedibus, nec ligno nec ossibus aut ullo subsidio adscititio armatis, lapsu cito & æqvabili in glacie decurrebant. Cujus exercitii vulgaris, etiamnunc dan. *Fodskred*, antiqvis *fótskrida* vocati, ope hostium ictus evolavit Skarphedinus, vid. *Niala, Cap. XCIII. pag.* 144. ε) Ad artificiale etiam currendi exercitium referri deniqve meretur *cursus manuarius*, s. *chirodromia*, *handa-hlaúp*, olim dictus; qvo, vertigine præcipiti instar rotæ versatilis, qvatuor radiis instructæ, per pedes & brachia homo provolvitur. Hunc lusum per plateas nostras & areas a pueris adhuc exerceri sæpe spectamus.



11) Artem etiam peculiarem calluere qvidam majorum, ejusqve specimina publice spectanda dederunt. Nimirum *per remos, a nautis agitatos extra latera navis incedebant*, gladiis manualibus nonnunqvam simul ludentes. Insigne hoc & rarius exercitium, qvod *at gánga utbyrdis eptir árum* vocabatur, suis aliqvoties monstravit Olafus Trygvinus N. R. teste *Heimskr. T. II. Hist. VI. Cap. XCII.* p. 290. 291. Solusqve Norvegorum regem hac in re æmulatus videtur Endridius Ilbreidus. Rem autem ipsam Marci Skeggiadæ, poëtæ Olafo rege non integro seculo inferioris auctoritas & versus confirmat; vid. *Hist. Ol. Trygv. ed. Scalh. P. II. Cap. LXXV.* p. 265..266. conf. *Cap. XXXIV.* p. 157. Hanc etiam per remos ambulandi artem Saxo Grammat. (*Hist. Dan. Libr. XIV.* p. 248.) Haraldo Gillio N. R. his verbis tribuit: *Aliud qvoqve inusitatæ agilitatis spectaculum edere consveverat. Sæpe etenim inter navigandum puppi exsiliens, in proram per exerta remorum capita decucurrit, indeqve cursu in aliud navigii latus reflexo per reliqvos remorum ordines locum, qvo excesserat, repetivit.*

12) *Rupes arduas* & prærupta montium *scandendi facilitatem* artis loco habebant veteres. Hac arte, qvæ *bratt-gengni* dicebatur, reliqvos omnes etiam anteivisse Olafum Trygvinum, loca *Heimskringlæ & Hist. Ol. Trygv. ed. Scalh. supra citata* testantur. De Hæringo qvodam Norvego refert *Vita Grett. Rob. Cap. LXXXI.* p. 149. *Haun var sva fær, at hann klifradi hvart biarg.* ɔ: *Artem ille callebat, qva per abruptas qvaslibet rupes obreptando enitebatur.*

13)

13) Coronidis loco addi poſſunt *ludicra puerilia*, qvorum permulta genera habuerunt majores. Horum aliqvot forſan interciderunt, nobisqve vel ideo parum cognita ſunt, qvod ab hiſtoricis, ut res leviculæ, raro aut nunqvam deſcribuntur. Nonnulla tamen hodieqve vel ruſticorum pueris nota ſuperſunt, qvorum vetuſtatem, & ipſis antiqvitatibus ſeptentrionalibus anteriorem, vel ſola nominum exoticorum vetuſtas loqvitur. Animi cauſa ſeqventia nominaſſe ſufficiat. *Aſcoliasmus* ſive *empuſæ ludus*, qvem, *at hoppe paa det eene Been*, danice vocamus. *Dielcyſtinda*, *at trækkes i Hænderne*. *Apodidraſcinda*, *at leege Skiul*. *Myinda*, *at leege Blindebuck (ſcolla-leikr)*. *Oſcillatio*, *at gynge, (róla)*, *Epoſtracismus*, qvod ludi genus tam accurate deſcribit Minuc. Felix, in *Octav. c.* 3. ut metuiſſe videatur, ne, qvi ſe legerent, noſtratium puſiones, ludicrum vernaculum, *at ſlaae Plæder*, non recognoſcerent. Qvominus autem hæc antiqvis Borealibus in uſu fuiſſe dubitemus, ſupra laudati Arngrimi Jonæ, ſcriptoris jam plusqvam ſesqviſecularis, non incelebris auctoritas intercedit, qvi *loco Chrymogææ ſupr. cit.* non ſolum memorata, ſed inſuper *Cindalismi*, *Baſilindæ* & *Chytrindæ* luſus pueriles, ut ſuis popularibus familiares recenſet. Qvibus addo *Larvam*, *Oſtracindam* & *Schoenophilindam*, qvorum ludicrorum ultimum puer ipſe ſæpe vidi luſiqve. Iſlandorum autem populum, in ultimo ſeptentrionis angulo deliteſcentem, ut recentiorum temporum inventa & inſtituta, ſibi qvinetiam neceſſaria & utiliſſima, aut ſegniter addiſcere, aut diſcendi occaſione deſtitui, ſic antiqviorum, vel minutiarum, ſtudioſe



ſtudioſe tenaces eſſe, omnibus plus ſatis conſtat. Hæc autem & alia ludicra apud ſuos auctores, Pollucem, Hadrianum Junium, Pexenfeldium &c. ulterius qværenda, & cum domeſticis comparanda lectori relinqvimus.

II) *Secundum ſpectaculorum genus* Borealibus olim præbuere *exercitia militaria*, qvæ, non ſecus ac illa in campo Martio Romanorum, magna inſpectante populi freqventia interdum edebantur, *Tria* vero præcipua *fuere*, ad qvæ revocari reliqva poſſe credimus, hæc *armorum exercitia*; nempe, 1) *ſagittas arcu mittendi*, 2) *tela manu vel funda jaculandi*, & 3) *digladiandi:* iſtud *boga-ſkot*, ſ. *ör-ſkot*, illud *hand-ſkot*, hoc *ſkilming*, vocarunt. Harum artium peritia, qvæ ſummi olim fiebat, *vapn-fimi*, & qvi earum peritus eſſet, *vapnfimr*, item *vel vígr*, dicebatur. Cum exoticas diſciplinas lente, gravate & ſenſim didicerit boreas, hanc olim domeſticam & peculiarem laudem ſemper habuit, qvod præſtantiores ſagittarios, jaculatores aut gladiatores vix ullus orbis angulus dederit. Qvodſi ducibus tanta prudentia & moderatio, tantaqve diſciplinæ militaris ſcientia fuiſſet, qvanta militibus fuit & arma tractandi peritia, & animi ferocis fortitudo, nunqvam Egdora Tibrim, nec orientis, auſtri vel occidentis arma unqvam metuiſſet ſeptentrio.

1) Aliis qvidem jaculandi inſtrumentis, præter arcum, uſos eſſe priſcos Boreales non præfracte negaverim. *Spicula & pila arcuum & baliſtarum tormentis excuſſa* commemorat prælii Bravici narratio apud Saxonem, vid. *Hiſt. Dan. Libr. VIII. p.* 143. & 146. *Baliſtæ* etiam ſ. *catapultæ*, qvæ dan. *Blide*, veteribus *Valſlaungva*, dicitur, tam *Sigurdi Hieroſolymi-*

ſolymipetæ & *Haraldi Gillii*, ap. Snorrium, qvam *Sverreri Hiſtoriæ* Norvegicæ meminerunt. In hac etiam Hiſtoria baliſtæ genus, *mánga*, (lat. *mangana*), nominatur. De qvibus, ut & aliis bellicis jaculandi inſtrumentis, cõnferri poteſt *Speculum Regale, ed. Soröe* 1768. *pag.* 409. *ſeqv.* In *Vita Vilmundi Vidutani, Cap. XXII.* qvæ hiſtoria ſatis fabuloſa, temporis tamen, qvo conficta eſt, nomina, res & opiniones declarat, occurrit *armbryſtis ſkeyte.* In *Biörnonis de Skardsaa Annalibus, ad ann.* 1430. vox, *armbryſt*, etiam legitur. Vocem hanc inſolentem primo miratus, peregrinam eſſe deprehendi. *Armbruſt* enim Germani lexicographi qvodlibet fere inſtrumenti jaculatorii genus, ut *arcum, baliſtam, catapultam, ſcorpium*, nec non *arcubaliſtam, manubaliſtam*, appellant. Qvin & danicum, vel pueris tritiſſimum, lexic. manuale, vulgo *Nucleus Latin.* ipſum arcum, *Armbyſt* (forte pro *Armbryſt*) exponit. Vocem autem exoticam ac neotericam, & in antiqvioribus fide dignis, qvæ res Borealium ethnicorum pertractant, monumentis, vix reperiundam, parum moratus, alia jaculandi inſtrumenta, qvam arcum & fundam, aut non noviſſe, aut rarius adhibuiſſe majores, aliqvali Hiſtoriæ Borealis notitia imbutus qvisqve mecum, opinor, cenſebit. Arcuum autem diverſa genera habuerunt, qvorum notiſſima ſunt: *band-bogi*, arcus manualis, ſ. qvi manu tenditur; *lâs-bogi*, qvi ope feræ v. elateris tenditur; *horn-bogi*, cornu ſ. arcus corneus; *ſtâl-bogi*, arcus chalybeus: vid. *Spec. Reg. pag.* 390. 391. 408. Hi omnes communi nomine dan. *Flitsbue* dicti videntur. Unde tela arcu miſſilia hodieqve *Flitspile*, qvem-



qvemadmodum manu jacula olim *fletti-skeptur*, & lapides manu vel funda missiles (saxa manualia) *flettu-griót*, nominata sunt; conf. *Spec. Reg. p. cit.* Sagittas autem arcu mittentium *duplex* erat *exercitatio*, artis altera, altera virium. a) In priore, cum sagittas mitterent, ad certum scopum, asserculo plerumqve in clivo vel loco conspicuo & editiore erecto, ac justo intervallo destinato, collineabant. Tabula ad metam erecta, in qva circulus cum centro, vel plures concentrici, erant descripti, *skot-spónn;* clivus, in qvo illa stabat, *skot-backi;* & spatium destinatum, *skot-mál*, qviqve destinata feriendi artem calleret, *hein-skeytinn*, *hæfinn*, item *gódr bog-madr* dicebatur. Hujus artis mira specimina edidit Ketillus Hængus, vid. *ejus Vit. Cap. III.* ubi Ketillus cum Gusio, Finnorum rege; (*Cusonem, Finnorum regem* nominat Saxo, vid. *Hist. Dan. Libr. III. p.* 40. & 41. sed tempora vix consentiunt), pugna sagittaria congressus traditur; ea qvidem artis peritia, ut intervolantes utriusqve sagittæ semet invicem mucronibus exciperent, collisæqve humi deciderent; qvod, *at skiótaz i odda*, veteribus dicebatur. Ketilli nepos Örvar-Oddus sagittandi etiam artis peritissimus fuit, vid. *ejus Vita, Cap. XVII.* Hic hastili humi defixo & erecto orbiculus imponitur, qvem ictu sagittæ dejecit Siolfus. Orbiculo autem in locum reposito, Oddus sagittam sursum in aëra excussit. Hæc aliqvamdiu inconspecta, tandemqve recidua, centrum orbiculi pro meta positi cuspide confixit. Artem, ni fallor, etiamnunc exercent, qvi pyrobolis tormento explosis munimenta vel naves expugnant. Olafus Trygvinus N. R. & Endri-

Endridius Ilbreidus, vid. *Hist. Ol. Trygv. ed. Scalh. P. II. Cap. LXXV. p.* 264 ubi pueri cujusdam, pro scopo positi, capiti impositum orbiculum ictu sagittæ, illæso puero, decussit Olafus R. qvod æmulari Endridius nolebat, & innumeri alii egregii fuere sagittarii; conf. *Libr. & P. cit. Cap. LXXXIX. pag.* 291. b) In posteriore vincebat, qvi acrius, atqve adeo longius sagittas mitteret; isqve *bardskeytinn* vocabatur. Sic in certamine sagittario omnium longe metas exsuperavit Örvar-Oddus *Libr. & Cap. supr. cit.* Sagittariis victoriam pugnæ Bravicæ debebat Sigurdus Ringus; de qvibus Saxo, *Hist. Dan. Libr. VIII. p.* 146. *Tanta enim vi periti arcuum Guttones nervos intenderant, ut clypeos qvoqve jaculis transverberarent Nec alia efficacior cædis extitit causa. Loricas galeasqve, perinde ac inermia corpora, sagittarum acumina penetrabant.* Guttones hic Thelemarchiæ incolas vocari observat illustriss. Suhm: *Hist. af Dannem. T. I. p.* 513. De Jomsvikingis danis idem narrat Snorrius; vid. *Heimskr. T. I. Hist. VI. Cap. XLIII. p.* 237. *Jómsvíkingar bördoz bædi braustliga oc diarfliga oc snarpliga, oc scuto allt i gegnom sciöldona:* ɔ: *Ea fortitudine, audacia & robore Jomsvikingi pugnabant, ut eorum missilia per scuta altius penetrarent.* Hoc artis genere excelluit Einarus Thambaskelfir, teste *Heimskr. T. II. Cap. XX. p.* 19. *Sagt er at Einar hasi verit allra manna stercastr oc bestr bogmadr, er verit hafi i Noregi, oc var bardskeyti hanns umframm alla menn adra; hann skaut med backakólfi i gegnom uxa-húd hráblauta, er heck á ási einom:* ɔ: *Fertur Einarus omnium, qvi Norvegiam incoluere,*

 viri-



viribus & sagittandi arte longe fuisse præstantissimus, adeo ut is omnibus aliis acrius & fortius jacularetur. Sagitta enim obtusa & lusoria, (qva in jaculandi exercitiis ludicris uti solebant), *corium bovinum crudum, ex pertica suspensum trajiciebat*; conf. *Heimskr. T. I. Hist. VI. Cap. CXXII. p.* 342. Præcipuam inter alios artis sagittandi peritiam Halogalandiæ (Helgelandiæ) Norvegicæ priscis incolis, nec non Finnis, vulgo tribuunt historici.

2) Idem *arma manu* jacula *mittendi* artis discrimen fuit; ita ut, qvo longius & certius aut *hastam* f. *telum cuspidatum*, aut *lapidem*, duplex enim artis exercitium, projiceret, eo jaculator haberetur præstantior. a) In illo tela manu missilia jaculandi exercitio duo qvoqve eximia habebantur, qvibus se assvefaciebaut veteres. Nempe ut jaculum ab hoste in se emissum inter volandum exciperent, qvod, *at taka spiót á lopti*, dicebatur; & ut manu utraqve ad jaculandum æqve habili uterentur, adeoqve binas simul hastas ictu certo in hostes emittere possent. Prius *at scióta jamnt bádom höndom*, posterius *at sciótá tveim spiótom senn*, vocabatur. Omnes has artes militares Olafo Trygvino N. R. (vid. *Hist. Ol. Trygv. ed. Scalh. P. II. Cap. LXXIV. p.* 255. conf. *Heimskr. T. I. Hist. VI. Cap. CXXVII. pag.* 343.) Gunnaro de Hlidarenda, (vid. *Niala, Cap. XIX.*), multisqve aliis ab auctoribus fide dignis tribuuntur. Uti autem sagittarum, ita telorum innumeræ fere species fuerunt, qvas recensere & describere, nec hujus loci, nec res per se facilis. Jaculorum enim tam apud historicos, qvam in Speculo Regali, nomina qvidem diversa satis sunt obvia, sed forma raro aut nun-

nunqvam ita definitur, ut claram inde notionem lector apiſcatur. Egregio autem labore & ſucceſſu in hæc & alia, qvæ arma & exercitia veterum Borealium militaria concernunt, commentatus eſt Perilluſtr. Joh. Erichſen, in *Notis ad Specul. Reg. p. 372. ſeqv. & p. 388. ſeqv.* qvo lectorem remittimus. b) *Lapides* etiam, qvorum creber in omnibus fere præliis uſus erat, ictu certo & valido, tam *manu mittere*, qvam *fundis explodere* diſcebant Boreales. α) Utriusqve rei documento inſervire poteſt locus *Spec. Reg. ed. cit. p.* 380. *Sú ſkemtan er oc gód oc hallqvæm, ef madur venur ſik at kaſta af ſlaungu, hvertveggia lángt oc þó beint, bædi af ſtaf-ſlaungu oc hand-ſlaungu, eda vapn-ſteini vel at kaſta;* ɔ: *nec minus jucundum qvam utile exercitium eſt, longum & accurate funda jaculari, ſive manu ſcutela retenta, ſive baculo alligata fuerit; itemqve lapidem bellicum (ſaxum manuale) rite projicere.* Hujus artis inſignem peritiam Erico Bono D. R. Saxo tribuit: *haſtæ & lapidis jactu ſtantes ſedens vincebat;* vid. *loc. ſupr. cit.* Artes mutuo cum periclitarentur Hiarandius & Vilmundus, lapides etiam projiciendo certabant; vid. *Vit. Vilmund. Vidút. Cap. XIV.* De Sturla Sighvati habet *Sturlunga, P. V. Cap. XVII. Sturla kaſtadi manna beſt ſteini, oc var hæfinn:* ɔ: *Sturla lapides manu dexterrime, & ictu plerumqve certo ac feriente, jaciebat.* β) *Lapides* porro in conflictibus tam terreſtribus qvam navalibus *fundis excutere,* ad artes militares pertinebat. *Fundarum* autem duo fuiſſe *genera*, nempe *hand-ſlánga* & *ſtaf-ſlánga,* adductus ſupra Speculi Regalis locus teſtatur. Fundarum uſum noviſſe Boreales monſtrant porro Odini



præcepta, Hadingum aciem instruere docentis, apud Saxonem; vid. *Hist. Dan. Libr. I. pag. 17. Idem qvoqve funditorum alas in extremam aciem concedere jussit, eisqve sagittariorum ordines sociavit.* Funditorum etiam bis meminit prælii Bravici historia, apud Sax. *Hist. Dan. Libr. VIII.* ubi in centuriato Ringi regis exercitu *ultima funditorum acies stabat,* (*pag.* 145.) *eaqve plurimum ad victoriam contulit,* (*p.* 146.) Funda etiam juvenis utebatur Bujus Andridi f. ejusqve ope adversus hostes complures solus se defendit; vid. *Hist. Kialnesens.* ed. *Hol. Cap. III. pag.* 6.

3) *Digladiandi exercitium*, cominus ense vel securi bellica ferire, hasta suffodere, ictus hostiles clypeo vel excipere vel detorqvere, nec non saltu aut alio motu, flexione aut conversione corporis evitare, docebat. Artis præstantia ex *ictuum gravitate & numero* cernebatur; illud vires, hoc agilitatem usu qvæsitam exigebat. De pondere ictuum ita Saxo; vid. *Hist. Dan. Libr. II. pag.* 30. *Non enim antiqvitus in edendis agonibus crebræ ictuum vicissitudines petebantur, sed erat cum intervallo temporis etiam feriendi distincta successio; rarisqve sed atrocibus plagis certamina gerebantur, ut gloria potius percussionum magnitudini, qvam numero deferretur.* Verum hæc de *pugnis singularibus rigidis*, vulgo *hólmgánga*, qvarum unam hic narrat auctor, proprie sunt intelligenda. Homines etiam galeatos & loricatos, ad dentes usqve, ad humeros, ad ilia s. balteum, imo integrum corpus uno ictu diffidisse veteres leguntur; qvemadmodum fecit Thorsteinus, cum Ufio (Ubbone) confligens: vid. *Vit. Thorst. Vik. f.*

Cap.

Cap. XIX. Qvibus qvidem relationibus, qvam apud nostræ ætatis homines vix invenient, fidem ego nec addere nec adimere volo, etsi ab exteris, qvos imperata credulitas veneratur, similia narrari sæpius observarim. Cæterum velocitas etiam ictuum numerosa in omni conflictu, si supra dictum rigidum exceperis, citra omne dubium perutilis, magni qvoqve a priscis æstimata fuit. De Gunnaro refert Niala, vid. *Cap. XIX. Gunnar vá sva skiótt med sverdi, at þriú þóttu á lopti at siá:* ɔ: *Gunnarus tam celeriter gladio feriebat, ut tres simul enses vibrari viderentur.* Qvis nescit serpentes a celerrima lingvæ vibratione trilingves apparere & vocari? Fuerunt etiam, qvi ambas ad cædendum manus æqve promtas haberent; & hanc artem qvi nosset, *at göra ser bádar hendr jamnfimar til vígs*, Borealibus vocabatur: *ambidextrum militem* latine dixeris. Illud exinde lucrati sunt Boreales, ut utraqve manu, adeoqve binis simul telis, hostes ferire possent, qvam artem Olafo Trygvino ejus Historia, & Gunnaro Niala, *loc. supr. cit.* tribuunt. Artem hanc exercitio adeo suam fecisse traditur Sigmundus Bresteri filius, ut in ipso conflictu, ense & clypeo sursum abjectis, clypeum dextra, sinistra ensem arripiens, hostem, ad ictum lævæ minus cautum, repente concideret; qvo pugnæ genere Randverum, Vandillum, & Bujum, Jomsvikingorum fortissimum, lethali vulnere truncavit; vid. *Hist. Ol. Trygv. ed. Scalb. P. I. Cap. CIX. p.* 120. *Cap. CXI. p.* 123. *& Cap. CLV. pag.* 185. Singulas has digladiandi artes & exercitia impense commendat *Specul. Reg. p.* 374. *seqv.* Hæc militaria, ut & illa ludicra



corporis exercitia, ſpectaculorum loco veteribus fuiſſe, & coram magna inſpectantium corona harum artium ſpecimina & certamina, qvæ, *at reyna iþróttir, artes periclitari*, dici ſvevit, publice plerumqve exhiberi ſolita, multa auctorum loca teſtantur. De Gunnaro, cum ad Haraldi Gormſonii D. R. aulam perveniſſet, refert Niala, *Cap. XXXI. Konúngr hafdi þat at gamni, at hann let Gunnar reyna ymſar iþróttir vid menn ſina:* ɔ: *Rex mutua Gunnari cum ſuis variarum artium pericula inſpectando ſe oblectavit, ſ. ludum ſibi qvæſivit.* Cum Olafus Trygvinus N. R. & Endridius artes mutuo periclitarentur, non modo aulicus regis comitatus, ſed Endridii qvoqve mater & ſoror præter alios ſpectatores affuerunt; vid. *Hiſt. Ol. Trygv. P. II. Cap. LXXV. p.* 262-265. Idem de artium certamine Haraldi Severi & Hemingi, hujus *Vita Mſt.* qvæ non integra ſupereſt, nec non de Örvar-Oddi cum Sigurdo & Siolfo certamine ſagittario, (vid. *Vita Örvar-Oddi, Cap. XVII.*) perhibent.

III) *Tertium ſpectaculi publici genus pugnæ* Borealibus dedere. Hæ fuere vel *ſingularia virorum certamina*, vel *pugnæ beſtiariæ: andromachiam* & *theriomachiam* Græci dixere.

1) *Pugnæ ſingulares ſ. duella* non unius generis fuere. Celebratiſſimum tamen duellorum genus fuit a) *Hólmgánga, monomachia legalis rigida*; de cujus ſacris, cærimoniis & legibus, qvæ pleraqve recenſet *Vita Kormaci, Cap. VII. Mſt.* confer *Schönings Norges Riges Hiſtorie, T. II. p.* 320-325. & *J. Arneſens Iſlandſke Rættergang, Cap.* 7. §. 73. ubi hæc fuſe & erudite tractantur. Inter ritus

ſacros,

sacros, qvi monomachiam rigidam comitabantur, *taurus* fuit, *post victoriam a victore sacrificandus*; de qvo *Eigla*, *Cap. XLV.* *Þar var leiddr fram gradúngr mikill oc gamall, er kalladr var blót-naút; þat skyldi sá höggva er sigr hefdi*; ɔ: *Productus est taurus*, *annis & corpore grandis, blót-naút (taurus victimalis s. devotus) dictus*, *ab illo*, *qvi vicisset*, *immolandus*. Hunc ritum exponit Arngrimus Jonæ; vid. *Crymog. Libr. I. Cap. IX. p.* 100. *Parta vero victoria e vestigio taurus immanis productus est, qvem si victor unico ictu non interficeret, victi cognatis contra victorem agendi jus fuit*; conf. *Schoning. Libr. cit. p.* 323. Circa qvæ seqventia observare liceat. *Taurus* hic *partim* fuit *vota diis victoriæ auspicibus*, vel a provocante solo; vel ab utroqve pugnantium, *victima*, *partim præmium victoriæ*. Victori enim illum cessisse *Vita Kormaci* docet; ubi victus Thorvardus a victore Kormaco taurum jam mactatum pretio emit. *Nec in duellis pro hæreditate* adeunda *solis adhibitus* fuit, qva de re Kormacus cum Thorvardo minime depugnabat. *Nec ictu ensis* aut ferri *necesse mactandum* fuisse taurum pro victoria votum, *iisdem tamen*, *qvibus victus* fuerat *adversarius*, *armis* & modo *immolandum*, docet exemplum Egilli, qvi, eoqvod Atlium inermis occidisset, cujus luctando prostrati guttur dente laceraverat, ideo tauro, solis manibus retorto collo, gulam præfregit. Kormacus autem, qvo adversarium superaverat, ense taurum occidit. Taurum vero eundem, & diis victimam, & præmium victoriæ, a victore iisdem, qvibus vicerat, armis statim immolandum, etiam in singularibus certaminibus

 ad



ad spectaculum edi is, proponi & produci, moris vel extra septentrionem antiqvissimi fuisse docet Entellus, qvi iisdem, qvibus victum Dareta tantum non occiderat, cæstibus taurum, victoriæ præmium, Eryci pugilum heroi semideo victor immolavit; vid. *Virg. Æneid. Libr. V. v.* 476,

Dixit, & adversi contra stetit ora juvenci,
Qvi donum adstabat pugnæ: durosqve reducta
Libravit dextra media inter cornua cæstus
Arduus, effractoqve illisit in ossa cerebro.
Sternitur, exanimisqve tremens procumbit humi bos.

Non igitur mirum; si Egillus taurum victimalem eodem, qvo Atlium interfecerat, modo, nempe inermi lucta, diis immolaverit. Taurum etiam pro victoria, in certamine remigandi obtinenda, diis obtulit vovitqve Cloanthus, his verbis: *Æneid. V.* 235.

Di qvibus imperium est pelagi, qvorum æqvora curro;
Vobis lætus ego hoc candentem in littore taurum
Constituam ante aras voti reus, extaqve salsos
Projiciam in fluctus, & vina liqventia fundam.

Cæterum dum *taurum* illum *victimalem* (*blót-naut*), qvi in Entelli & Daretis monomachia pugilatoria & diis victima & victori præmium positus fuerat, propius considero, illum *cornua deaurata* habuisse comperio; vid. *Æneid. V.* 365. ubi de Ænea brabevte:

Sic ait, & geminum pugnæ proponit honorem:
Victori velatum auro vittisqve juvencum.

Scio commentatores hoc, *velatum auro vittisqve juvencum*, qvemadmodum alterum, *aurata fronte juvencum*, qvem Jovi vovit Ascanius, *Æneid. IX.* 627. *Taurum, aurea corona*, ɔ: *vitta lamellis*

aureis

aureis distincta ornatum, exponere. Verùm ego nil ista perspicacia opus esse censeo; dum boves auratos diis more Græcorum sacrificasse Romanos doceat Livius, *Libr. XXV.* 12. *Alterum senatus consultum factum est, ut decemviri sacra græco ritu facerent, iisqve hostiis. Apollini bove aurato & capris duabus albis auratis, Latonæ bove foeminâ auratâ.* L. Minutium *bove aurato* publice donatum, idem auctor, *Libr. IV.* 16. perhibet. Et neqva criticis, qvid Virgiliani *auro velati*, vel *aurata fronte juvenci*, qvid Liviani *boves aurati*, in sacrificiis & donis usitati sibi velint, dubitandi supersit occasio, semet ipse explicat Livius, dum, (*Libr. VII.* 37.), *P. Decium* in præmium fortitudinis & victoriæ *a consule aurea corona, & centum bobus, eximioqve uno albo optimo auratis cornibus donatum*, scribit. Hæc vero *aurata* bovis *cornua* in *vittas lamellis aureis distinctas*, salva, qvæ magnis viris debetur, veneratione, diffingere non ausim. Mirabuntur vero isti, ubi rei adstipulatrix & pervetusti ritus, græci pariter ac romani, testis Edda in medium producitur. Hac vero magistra discimus, *boves cornibus deauratis diis sacrificari solitos.* Atlio certe Idmundi filio, qvi regi suo Hiörvardo uxorem Sigurlinam frustra procatus fuerat, alatum nescio qvod numen se obtulit, optatumqve negotii exitum promisit, si, qvam postularet, merces daretur. Poposcit autem præmii loco templum sibi dedicandum & sacrificia; vid. *Edd. Sæm. Od. Helga-qv. Haddinga-sk.*

Hof mun ec kiósa	i. e. *Fanum ego pacifcar,*
haurga marga	*Arasqve dearum multas,*
gullhyrndar kýr	*Et vaccas auricornes*

 frá

frá grams búi. i. e. *De regis armento.*
Ef hánom Sigrlín *Si illius Sigurlina*
sefr á armi *Brachiis indormiat,*
oc ónaudig *Atqve non invita*
iöfri fylgir. *Regi copuletur.*

Nec aliter *auricornes boves* inter sacra nuptialia mactandos domum agi curat Thrymus, gigantum dynastes; vid. *Edd. Sæm. Od. Þryms-qvida, Str. XXIII. ed. Hafn. p.* 191. 192. conf. *Not.* 30.

Gánga her at gardi i. e. *Accedunt huc ad ædes*
gullhyrndar kyr *Auratæ cornua vaccæ,*
öxn alsvartir *Boves usqveqvaqve nigri*
iötni at gamni. *Giganti in voluptatem.*

b) Secunda duelli species *einvígi* dicebatur, qvæ, qvod dinumerata ictuum successione & vicibus, aliisqve legibus & sacris, qvibus *hólmgánga* tenebatur, adstricta & circumscripta non fuit, *monomachia exlex s. libera* vocari meretur. Hoc autem inter duellum legale & exlex discrimen Vita Kormaci *l. cit.* diserte docet; *Bersi mælti: Þú Kormákr scoradir á mic til hólmgöngo, enn þar i mót byd ec þer einvígi. Þú ert madr úngr oc lítt reyndr; enn á hólmgöngo er vandhæfi; enn allz ecki á einvígi:* ɔ: *Tum Bersius: tu, Kormace, me provocasti ad certamen singulare rigidum; ego contra tibi monomachiam liberam offero. Tu juvenis es usuqve parum exercitus; rigidam illam & legalem pugnam observationes difficiles impediunt, a qvibus hæc prorsus est immunis.* Singularia hæc certamina non solum definito utriusqve certantis comitatu, sed & magna aliorum visendi cupidorum freqventia præsente, edi svevisse, monumenta historica passim testantur. Qvin

Qvin & foeminas maritorum duella sæpe spectasse docet exemplum Steingerdæ, vid. *Vit. Kormaci Mst.* & Ognæ, vid. *Hervarar-S. Cap. I. ed. Upsal. pag.* 2. c) Tertium certaminis singularis genus, infreqvens illud qvidem, sed usitatum tamen, a loco, ubi pugnabatur, *kergánga*, *pugna labri s. doliaris* nominabatur, eoqvod in sino vel labro, superne tecto confligeretur; vid. *Hist. Floam. Cap. XVII. Mst.* Hanc *pugnam*, qvippe *opertaneam*, spectaculis veterum Borealium accensendam non dixerim, etsi suos illa testes qvin habuerit, vix dubitandum. Rabiem majorum mirari desinet, qvi æqve furiosum duellorum cacoëthes cogitaverit, qvod ad nostram usqve memoriam politissimos evropæorum mores hactenus efferavit. Qvin pugnæ singularis genus non ita dudum in Norvegia usitatum memoratur, qvo balteis invicem nexi certantes cultris majoribus se mutuo prosecant. Illud certamen, pugnæ veterum doliaris non inficianda progenies, matreqve parum pulchra filia non admodum pulchrior, *at spænde Belte med sin Naboe*, appellatur; vid. *Forsög i de skiönne Videnskaber*, 3. B. 6. *St. p.* 13. d) Qvarta deniqve certaminis singularis species dici potest *lucta seria* sive *monomachia inermis*, qvam supra tetigimus; cum sontes maxime, vel qvi iram principis qvocunqve modo provocaverant, cum feris & atrocibus hominibus, qvos ad hoc ipsum principes alebant, ad poenam & spectaculum colluctari jubebantur. Verum hæc ipsa *lucta poenalis* non tam ad andromachiam, qvam ad theriomachiam, de qva mox agetur, ex mente veterum referri debet.




2) *Theriomachiæ* autem *duplex* fuit genus. Aut enim homines cum feris pugnabant, aut inter se feræ committebantur. Prius *ludum bestiarium* Romani dixerunt, posterius *theriomachiam strictius sumtam* vocaveris. Utriusqve spectaculi exempla suppeditat historia. a) Apud Romanos, imo Græcos olim solenne fuit, homines maleficos aut delicti gravioris reos damnare ad *ludum gladii* vel *bestiarium*, in qvo vel inermes & vincti bestiis objiciebantur, vel liberi & armati cum bestiis pugnare coacti sunt. Hoc spectaculum Romanis olim gratissimum fuisse vulgo notum. Imo Atheniensibus usitatum Anacharsis apud Lucianum mirabundus refert: *Assumens me, ut ad gratum & insperatum spectaculum græcanicum, inducit in theatrum. Et ubi consedimus, vidimus primum omnium feras sagittis confici, & a canibus lacerari, aut immitti in homines vinctos, noxios, ut interpretabantur*; conf. *S. Pitisci Lex. Antiqv. Rom. ad voc. Bestiarius*. Cui consentit *Alex. ab Alex. Gen. Dier. Libr. VI. Cap. XIX. p.* 640. *Athenienses vero fures & sicarios, pecunia comparatos, armis instruebant, qvos, ut in scena dimicarent invicem committebant*. Boreales etiam antiqvi, uti non *lusoriis gymnicisqve* & *gladiatoriis*, de qvibus modo egimus, ita nec *bestiariis spectaculis* caruere, in qvibus aut *cum feris* & atrocibus *hominibus*, aut *cum bestiis decertabant*. α) Bujus Andridi filius, templo publico ethnicorum in patria incenso, reus sacrilegii, cum ad aulam Haraldi Pulchricomi sponte venisset, occidi simpliciter posse non videbatur. Regia enim majestate indignum habebatur, hospitem qvantumvis sontem, qvi vitam principis po-

teſtati ultro commiſiſſet, interficere. Nec ſacrorum violatorem impunitum dimittere rex voluit. Jubetur igitur Bujus cum *giganteo hominis monſtro* feritate, ſtatura & robore corporis immani, lucta congredi. Itaqve die dicto populus tubæ ſono in locum patentem evocatur. Hic lapis planus erectus ſtabat, ſumma ſui parte in acutum marginatus, qvi *luctantium petra* vocabatur: locum colles cingebant, in qvo ſpiſſæ ſedebant ſpectantium coronæ. Facto luctandi initio, membris & robore longe inferior Bujus, agilitate tamen & arte gymnaſtica a lapſu ſibi cavit; donec, impetu hoſtis ob laſſitudinem ſenſim remittente, colluctantem petræ pronum tandem infigeret, ea qvidem vi, ut fracta crate pectoris exſpiraret. Hoc periculo defunctus Bujus incolumitate & abeundi venia a rege donatur; vid. *Hiſt. Kialneſ. Cap. XV. p.* 28. 29. Alfum, cognomine Apturkembam, Comitis Hladenſis Haconi Potentis, qvi regnum Norvegiæ aliqvamdiu uſurpavit, affinem, cum occidiſſet Fimbogius Robuſtus, vitæ ſuæ prius inſidiatum, ultroqve Comitem adiens cædem & cædis cauſam coram expoſuiſſet, ſuumqve miniſterium loco occiſi obtuliſſet, audaciam hominis miratus Haconus, inter alia dixit: *Nú þyki mer þer ofgott at deya ſva ſciótt. Sculo ver hafa gaman oc ſcemtan af, at reyna þic i ſmáleicom:* ɔ: *Mors propera meritis tuis levior videtur; jocos igitur & ſpectacula ludicris virium periculis nobis præbebis;* vid. *Vit. Fimb. Rob. Cap. XV. Mſt.* Qvodam deinceps die populum ſigno tuba dato in campum patentem evocari, eoqve ſellam ſuam efferri Comes mandat. Arceſſitumqve Fimbogium cum Typhoeo qvo-



qvodam, qvem præsentem illi monstrat, lucta contendere jubet. Erat & hic petra luctantibus erecta. Concurrunt igitur luctaturi; postqve acrem & diutinam conflictionem Fimbogius hominem petræ resupinum impegit, impactumqve dorso refracto interfecit; vid. *Vit. Fimb. Rob. Cap. XVI.* Iisdem fere verbis, circumstantiis & exitu publicum cum altero Typhoeo luctandi certamen, jussu ejusdem Haconi Potentis editum, commemorat *Vit. Gunnari Keldugnups-fifli Mst.* Ejusmodi feram hominis, nomine Glamum, Hrolfus Nefia (Naso), vid. *Vit. Sturl. Lab. Cap. VII.* & Ruddium Vilmundus, vid. *Vit. Vilm. Vidut. Cap. XIV.* (ubi & luctantium petræ & amiculi luctatorii fit mentio), luctando victos interfecerunt. Illud vero observandum, in omnibus his auctorum locis Typhoeos istos, luctis publicis poenalibus adhibitos, vocari *blá-menn*, dan. *blaamænd*, lat. *æthiopes*. Verum, unde Norvegis his temporibus æthiopes? Et, si habuissent, æthiopes istos Norvegis ipsis statura corporis & robore superiores, vulgoqve Borealibus adeo formidabiles fuisse qvis crederet? Ego qvidem africanos *Mauros*, *Æthiopes*; aut *Nigritas* hic frustra cogitari, nec ideo *blamannos* hos, qvoties in monumentis historicis occurrunt, inter fabularum spectra & larvas referendos existimo. Intelligendos potius credo homines prægrandes, robustos & feros, ex Scythia interiore vel boreali huc advectos; qvales Holmgardiæ & Sveciæ reges principibus Norvegis muneri interdum mittebant, qvi inusitata hæc hominum monstra, ad aulæ delicias & spectacula publica, præsertim poenas sontium, non secus ac feras, & si mansvef-



mansvescerent, linqvamqve mores & sacra Borealium addiscerent, ad custodiam corporis aluere. Snorrius certe Sturlæsonius inter *Sveciæ Magnæ*, i. e. *Scythiæ, incolas blamannos* etiam recenset: *i Svíþiód (hinni miclo) ero risar, oc þar ero dvergar, þar ero oc blámenn:* ɔ: *In Svecia (Magna s. Frigida) sunt gigantes; ibi sunt pygmæi, ibi sunt blamanni (æthiopes);* homines nempe, a colore vultus fusco vel livido ita dicti: vid. *Heimskr. T. I. Hist. I. Cap I. pag.* 5. Horum igitur colluctationem ad *theriomachiam* referre non dubitavimus, cum pro humanis hominibus (*menskir menn)* non sint habiti; imo locis supra adductis, *tröll & qvikindi (gigantes & feræ)*, diserte nominantur. β) Cæterum *cum* veris etiam *bestiis* Boreales, vel coacti ad spectaculum poenale, qvod *ludus bestiarius stricte* dici meretur, vel voluptatis causa lubentes decertabant, qvod *theriomachiam oblectatoriam* vocaveris. ℵ) Sic, blamanno interfecto, Fimbogium cum urso immani inter natandum conflictari jussit Haconus Comes. Hunc ursum Fimbogius cultro, qvem *tigil-knif* vocare, & de zona vel collo pensilem gestare solebant Boreales, subter aqvis perfossum interfecit; qvo facto in gratiam a Comite receptus est. Postqvam Ruddium interfecerat, Hiarandiumqve omnibus exercitiis superarat Vilmundus, in eum natantem ursus emittitur, qvem ægre tandem occidit; vid. *Vit. Vilm. Vidut. Cap. XV.* Huic autem spectaculo non viros solum, sed & foeminas affuisse, testatur *Vit. Fimb. Rob. Cap. XVII.* Hinc ursi, præsertim albi illi Grönlandici, (ursorum enim vel ipsa Norvegia satis ferax), regibus Borealibus in deliciis fuerunt,

 qvos



qvos vivos alere solebant principes, non aliam magis ob rem, qvam ad spectacula illa publica, interdum poenalia. Sic Ingimundus Grandævus ursos duos juvenes, qvos in Islandia ceperat, glacie Grönlandica eo devectos, Haraldo Pulcricomo N. R. muneri dedit, teste *Vatusdæla*, *Mst.* Post adinventam Grönlandiam, Haraldo Severo N. R. Gunnarus qvidam ursum album Grönlandicum vivum dono transmisit; vid. *Hist. Króka-Refs*, *Cap. X. p.* 56. Qvinqve etiam ursos albos ex Grönlandia in Daniam vivos transvexit Refus, qvos Sveino Estritio D. R. dedisse videtur; *libr. cit. Cap. XIII. pag.* 65. cujus rei plura, si opus esset, afferri exempla possent. Athenienses porro imitatus Olafus Trygvinus N. R. Sigurdum qvendam, qvi aulicum regis satellitem occiderat, conventu populi indicto, qvo pluribus res esset spectaculo, nudum & manibus vinctum, canibus lacerandum objecit & interfecit; qvod tamen factum regis crudele & sævum videbatur: vid. *Hist. Ol. Trygv. ed. Scalh. P. II. Cap. XLII. p.* 173. 174. conf. *Heimskr. Tom. I. Hist. VI. Cap. XCII. p.* 290. ב) Ad *theriomachiam oblectaneam* haud absurde retuleris regum & principum *venationes* & *aucupia*, qvæ magno interdum apparatu & comitatu fiebant, & Borealibus in præcipuo honore ac pretio ab omni ævo fuerunt. b) Ad ferarum inter se certamina, qvæ pro spectaculis fuere, & qvæ *theriomachiam sensu strictiore* vocavimus, jam progredimur. In his autem spectaculis vel *eqvi*, vel *aliæ feræ* contendebant. α) Eqvestris contentio aut fuit *eqvorum pugna*, aut *eqvitandi certamen*. De hoc ludorum genere nobilissima,


liſſima, nec priſcis olim Borealibus, qvam Anglis gallorum, aut Hiſpanis taurorum certamen, minus grata aut ſolennis fuit א) *pugna eqvorum: heſta-at, heſta-víg* & *heſta-þíng*, majores dixere; *hippomachiam ſtricte* græco nomine nuncupari, vocis etymon permittit, etſi uſus innuat eqveſtre, non eqvorum certamen, qvod Græci ignoraſſe videntur. In Iſlandia ſaltem adeo invaluit placuitqve hoc ſpectaculi genus, ut nullus fere ludus publicus ederetur, qvin eqvos ſimul decertantes haberet. E Norvegia tamen, Svecia, vel forte ex Hibernia aut Scotia eo cum incolis migraſſe ſpectaculum, exinde concludo, qvod ab ipſis fere occupatæ inſulæ temporibus in uſu fuerit, ſiqva fides eſt *Vitæ Viglundi Pulchri*, qvæ *Cap. VII. p.* 21. eqvorum pugnam, vivente adhuc Pulcricomo, cujus regimen primos, qvi ſtabiles ibi ſedes figerent, inſulæ dedit incolas, editam commemorat. In Daniæ, Sveciæ aut Norvegiæ hiſtoria antiqviore nullum hujus ludicri veſtigium reperire mihi contigit. Niſi forte eo pertrahere velis Comitis Finni Arnæi verba, cui in prælio Nizaaenſi capto, cum vitam offerret Haraldus Severus N. R. regeſſit Comes, nolle ſe vel ipſi vel filio Magno ſalutem debere. Rogatus porro, num a cognata ſua Thora, qvæ regis Haraldi uxor fuit, vita donari vellet, utrum illa præſens eſſet, qvæſivit: hoc affirmanti regi repoſuit Finnus: *eigi er kynligt at þú hafir nú vel bitiz, er merin hefir fylgt þer*; ɔ: *non mirum te acriter mordendo pugnaſſe, cum eqvam comitem habueris*; vid. *Heimskr. T. III. Hiſt. IX. Cap. LXIIX. p.* 130. Qvæ Finni verba ad hippomachiam alludere videntur, in qva

 moris



moris erat, pugnaturis eqvis admiſſariis, qvibus nuper adſveverint, eqvas aſſiſtere, ut harum aſpectu ad pugnandum incitatiores redderentur. Hanc rem *Vita Gretteri Rob.* diſerte teſtatur, *Cap. XXXI. p.* 108. *Voro nú heſtar nir fram leiddir, enn broſſinn ſtódo bundin fram á backanom:* ɔ: *Producti ſunt igitur eqvi; prope autem eqvæ in extrema amnis ripæ ligatæ ſtabant*; huic conſentit *Niala*, *Cap. LIX.* Ea autem propemodum hujus ſpectaculi deſcriptio, facem præferentibus auctorum, qvi hippomachias narrant, locis, dari poterit. Tempore & loco prius condictis ad ſpectaculum confluxit, qvibus vacabat & volupe erat, utriusqve ſexus multitudo; qvorum plurimi colles in vicinia, unde proſpicerent, occupabant, foeminis, ut in conviviis & omnibus fere conventibus, loco a viris ſeparato ſedentibus. Certamini planities eligebatur, qvam vel viri undiqve diſpoſiti circumdabant, *(Vit. Vigl. Pulch. Cap. VII. p.* 21.*)*, vel amnis pro natura loci circumfluus obibat; ne inter certandum efferati eqvi, aut diſcurrentes ægre recipi, aut, ubi ſatis luſum, diſtrahi neqvirent; vid. *Vit. Grett. Rob. Cap. XXXI. pag.* 108. nec non *Vit. Viga-Glumi, Cap. XIII. p.* 206 Lecti interdum judices ſunt, qvi in re dubia, penes utrum victoria fuiſſet, arbitri decernerent; vid. *Vit. Viga-Gl. Cap. XIII. & XIIX. p.* 206. & 215. Eqvæ deinde pugnantium utriqve familiares in unum locum productæ ſunt, qvarum adſpectu ad pugnam admiſſarii incenderentur; de qvo ſupra. Mox pugnaturos admiſſarios committebant. Utrumqve autem pone vir ſeqvebatur, qvi altera manu ſtimulo eqvario *(heſta ſtaf)* armatus pugnantem

tem protrudebat, altera caudam vel clunes apprehendens erigentem ſe eqvum fulciebat; vid. *Niala, Cap. LIX. Vit. Grett. Rob. Cap. XXXI. Vit. Viga-Glum. Cap. XIII.* Eqvi vero in pedes poſteriores ſurgentes reciprocis morſibus & pedum anteriorum ictibus tamdiu decertabant, donec alteruter plagis, vulneribus aut laſſitudine victus & animum deſpondens, ulteriorem pugnam detrectaret; vid. *loc. ſupr. cit.* Interdum unum, interdum plura ſimul paria ad pugnandum producta ſunt; vid. *Niala & Vit. Viga-Gl. l. c.* Hæc certamina nonnunqvam pugnantium eqvorum alterutrius nece finita ſunt; cujus exemplum dedit eqvus Viglundi, qvi primo ſtatim congreſſu recalcitrans dentes colluctanti excuſſit; moxqve poſteriora ventris infeſto malarum rictu aggreſſus, ilia morſu denudavit: & ſic adverſarium humi mortuum proſtravit; vid. *Vit. Vigl. Pulch. Cap. cit.* Haud raro etiam eqvorum certamen dirimebant trudentium virorum ex æmulatione veſana profecta jurgia & pugnæ; qvod adducta a nobis auctorum loca inſpecta docebunt. Eqvum pugnando ferocem Haraldo Severo N. R. ex Iſlandia dono transmiſſum, hiſtoria qvædam Norvegica Mſta commemorat: unde, ut & ex auctorum ſilentio, hoc ſpectaculi genus in Norvegia tunc temporis minus uſitatum qvis dixerit. Cæterum hippomachiæ icon, qvam vidiſſe me recordor, cum pleniore hujus certaminis deſcriptione, luci publicæ brevi forſitan dabitur. ב) *Eqvitandi certamina* qvin habuerint Boreales, dubitari neqvit. Hæc eqvitandi contentio aut vulgaris fuit, aut artificialis. α) *Vulgare eqvitandi certamen,* (lingva veteriBorea-



lium *kapp-reid* dictum), illud voco, cum vel animi gratia, vel posito pignore, eqvis ad currendum admissis, uter condictum spatium citius permetiri posset, eqvites contendebant. Ejusmodi certaminis exemplum *Landnama* ministrat; vid. *P. III. Cap. VIII. pag.* 214. b) *Circensia* etiam *certamina* v. *eqviria* priscis Borealibus auctores tribuunt; certe eqvestris certaminis, qvod *burtreid*, *útreid*, item *turniment* dicitur, freqvens apud historicos mentio. De Raudo & Rafno habet *Vita Sturl. Labor. Cap. II. Bádir voro þeir vel meatadir at skotom oc turnimente:* 𝔬: *Ambo jaculandi artis & eqvestris certaminis apprime gnari fuerunt.* Eqvestri certamine Godfrejrus cum Hiarandio contendit; vid. *Hist. Vilm. Vidut. Cap. XXII.* Mutuum etiam certaminis eqvestris periculum Magno Erlingi filio N. R. obtulit Sverrerus N. R. qvod ille recusavit. Aliqvot etiam eqvestris discursus & pugnæ regulas tradit *Specul. Reg. p.*371. *seqv.* Verum hos & alios, qvi eqvestria certamina vel pugnas narrant, auctores si propius spectaveris, eos aut fabulosa aut exotica venditare comperies, aut tempora describere, religionis christianæ in his regnis initiis longe inferiora, qvibus multi ritus & artes exterorum in Septentrionem sensim immigrarunt. Haud nimis forte audax fuerit, qvi omnes eqvestres pugnas, tam ludicras qvam serias, ethnicis temporibus incognitas Borealibus fuisse statuerit. Etsi enim hasta, gladio vel arcu ex eqvis dimicasse nonnulli legantur, illud utiqve in velitationibus fortuitis & subitis, non ordinata acie aut justis & commeditatis conflictibus factum invenietur. Eqvis qvidem insidentes duces

aciem interdum instruebant, ut Ringo, Haraldus Severus & alii; pedites tamen prælia obibant. Eqvis ad itinera non ad pugnas utebantur; hæ semper aut navales aut pedestres fuere. Unde nec in Odiniana instruendi exercitus disciplina, nec in Bravico prælio, cujus tamen apparatus bellicus tam varius & multiformis fuit, in qvo rex Haraldus Hyldetand curru falcato ob senium & majestatem vectus traditur; in qvo, inqvam, balistæ, tormenta, bellatrices heroinæ, sagittarii, funditores & plura recensentur, nec in aliis præliis terrestribus, qvorum tam multa ab historicis copiose describuntur, ulla eqvitatus mentio. In Angliam etiam post emigrantes Romanos, cum reliqvis Normannis irrumpentes Dani, bellicum eqvorum usum, donec ab indigenis didicissent, ignorasse scriptoribus Anglicis perhibentur. Ut autem in viam regrediamur, β) *aliarum* qvoqve præter eqvos *ferarum*, ex. gr. *gallorum*, *falconum*, *canum*, *ursorum*, *taurorum*, *arietum* mutuas *pugnas* spectando se oblectasse Boreales qvamvis inficiari nolimus, qvemadmodum inter eligendi regis auspicia certamen caninum in Risalandia (Russlandia, Russiæ hodiernæ parte) exhibitum tradit *Vita Örvar-Oddi*, *Cap. XIII.* rariora tamen, aut saltem viliora id genus spectacula qvod fuerint, credere nos jubet auctorum taciturnitas.

Longius ab instituto, qvam qvod lectoris reverentia permiserit, nos forte novitas argumenti seduxit. Ordinis autem regulas in his notulis parum curasse non poenituerit, modo aliis, qvibus plus otii & industriæ, materiam hactenus fere aut intactam aut indigestam, uberius & elaboratius pertractandi

 qva-



qvaliscunqve hic de veterum Borealium spectaculis discursus ausam & stimulos addiderit. Et qvî qvæso calamis scribentium, aut legentium oculis indigna crederemus domestica, qvi in exoticis minutiis sæpe futilioribus, inter scrobes dumosqve investigandis, plurimum temporis & operæ collocare solemus. Id demum observasse hujus saltem loci, spectaculis his solennibus spectatrices affuisse foeminas, easqve, pro more veteri Borealium, loco a viris segregato consedisse. In publico hoc foeminarum consessu qvin ordinis pro dignitate mariti aut natalium, non secus ac in conviviis, respectus fuerit, ambigi non potest. De lusu pilæ Grimstungis edito, habet *Hist. Ol. Trygv. ed. Scalh. P. II. Cap. XXI. p.* 81. *Vedr var gott, oc sâto konor úti, oc horfdo á leikina. Valgerdr Ottars dóttir sat úti upp í breckunni frá, oc konor hiá henni:* ɔ: *Coelum erat sudum; adeoqve. foeminæ sub dio sedentes ludos spectabant. In clivo superiore proximo Valgerda Ottari filia sedebat, reliqvo mulierum assidente coetu.* Ludis etiam ad lacum Eisu-tiörn, haud procul a prædio Foss celebratis, Olufa & Helga ab Ingialdsholo profectæ adfuerunt; qvod cum audisset Ketilrida, ipsa qvoqve patrem ad ludos eundi veniam precata impetravit. Convenitur igitur ad ludos; venerunt etiam ab Ingialdsholo fratres Viglundus & Traustius; de qvibus *Vit. Vigl. Pulchr. Cap. XI. p.* 24. *Komu Þorgrímssynir seint; ecki com fleira frâ Ingialdshóli enn þeir brædor. Þeir gengo upp i breckuna, þar sem konurnar sâto:* ɔ: *Filii Thorgrimi tardius affuerunt; nec ab Ingialdsholo plures venere qvam hi fratres, qvi clivum statim, ubi foeminæ con-*




confidebant, ascenderunt. Idem de ludis pilaribus, qvibus Gislius Surfonius & Börcus præfuere, narrat *Vita Gislii Surf. Cap. XVIII. p.* 151. *Konor fáto uppí breckunni, þórdís systir Gísla oc fleyre;* ɔ: *Foeminæ superius in clivo sedebant, Thordisa Gislii soror & plures.* Duella etiam virorum, luctas, sagittandi & natandi exercitia, præsentes mulieres spectasse supra notavimus.

4) Vid. supra, §. *XXIII. Not.* 3.4. conf. §. *XXVI Not.* 7.

5) De Halgerda Glumo nupta tradit *Niala, Cap. XIV. Red Hallgerdr ser hión:* ɔ: *Halgerda sibi operas conduxit.* Hoc præsente marito, remqve uxoris arbitrio permittente & consentiente, factum historia monstrat. Thiostolfum tamen, nisi venia mariti prius impetrata, domum recipere non potuit, qvod inter conditiones sponsalitias fuerat stipulatum; vid. *Niala, Cap. XI.I. & XV.* Brynjolfum Rostium inscio marito in familiam domesticam adscivit Halgerda; qvem domo abigere Gunnarus noluit, eoqvod uxori suæ sangvinis necessitudine esset conjunctus; vid. *libr. cit. Cap. XXXIIX.* Atlium Bergthora, absente marito & deinceps consentiente, operarium conduxit; idqve se jure vel usu facere, Atlio respondit: *ec em kona Niáls, oc ræd ec eigi sídr hión enn hann:* ɔ: *Niali ego uxor sum, operasqve, non secus ac ipse, conduco;* vid. *Libr. cit. Cap. XXXVI.*

6) Liberos, famulos & servos qvod ad operas & negotia amandaverint *uxores*, adeoqve *potestatis patriæ & herilis* cum maritis *participes* fuerint, sine qvo dominio negotia domestica & alia parum succedere potuissent, innumera auctorum loca testantur; vid. *Niala, Cap.*

 XXXVI.



XXXVI. XXXVII. XXXIIX. XLI. Vit. Fimb. Rob. Cap. XLI. Fliótsdæla, Cap. XXVI.


7) Hoc etiam ex matrisfamilias dominio in familiam fubordinato, citra qvod nec clavium poteftas, nec difciplina domeftica ftare poterat, prone feqvitur. Familiam domefticam caftigaffe, proqve meritis vel puniviffe vel remuneraffe fæpius etiam uxores leguntur. Hinc domefticos increpando caftigare, uxori integrum futurum dixit Gunnarus; vid. *Niala*, *Cap. XXXV.* Mortem fervo, ni imperata faceret, minatur Halgerda; *Libr. cit. Cap. XLIIX.* Qvod tamen nimium & nefas. Punire qvidem fervos, non occidere, uxori licebat; de qvo inferius. Operam etiam famulorum impigre & fideliter navatam donis & beneficiis multoties compenfarunt uxores; ex. gr. Jofrida, *Vit. Gunnl. Vermil. Cap. III. p.* 38. Thordifa, vid. *Fliótsdæla, Cap. XXI.* Vigdifa, vid. *Laxd. Cap. XVII.*

8) Homicidia domefticis aut liberis imperare matrifamilias nevtiqvam licuiffe, Ranveigæ ad Halgerdam Gunnari uxorem, cædem fervo mandantem, verba docent; vid. *Niala, Cap. XXXVI.* *Þó hafa húſs-freyior verit góðar, þótt eigi hafi ſtaðit í mannráðom:* ɔ: *Gnavæ & idoneæ fuerunt matresfamilias, etfi fuum homicidiis arbitrium non interwifcuerint.* Talia etiam præmetuens Gunnarus, priusqvam domo abiret, *flagitia temeraria (fárſcapi)* in amicos occoeptare, uxori ferio prohibuit; *Libr. & Cap. cit.* Hinc uxores, alternas domefticorum cædes procurantes, fevere reprehenderunt, mulctamqve fangvinis & damna invicem rependerunt Nialus & Gunnarus; de qvibus fupra. Furta, rapinas, aut alia nefaria facinora, domefticis perpetranda

tranda mandare, uxori non permiſſum fuiſſe, res eſt, cum exemplo Halgerdæ, cui furtum imperanti ſervus obſeqvium recuſavit, his verbis: *vandr heſi ec verit, enn aldri heſi ec Þiófr verit*: ɔ: *improbus qvidem fui, nunqvam autem fur*; (vid. *Niala, Cap. XLIIX.*), tum per ſe adeo clara, ut ulterius probari non egeat.

9) Jure vitæ & necis in ſervos, uti & jure manumittendi, ſoli ſervorum domini gaudebant. Cum autem uxor ipſa ſub manu & dominio mariti fuerit, & uxoris bona dotis nomine ad maritum tranſirent, patet uxores olim in vitam & libertatem ſervorum nihil habuiſſe juris. Qvamvis autem uxoris dos & profectitia & addititia, qvæ qvibusdam *antipherna* dicitur, marito cederet, habebant tamen uxores, præſertim nobiliores aut principes, nonnulla, qvæ in dotis cenſum non venerunt, & qvorum dominium ac uſumfructum etiam poſt nuptias ſibi uxores retinuere. Horſum referas *mundum*, *utenſilia muliebria*, nec non *res donatas*. Ad mundum pertinebant *veſtes* & *ornatus ſ. cimelia mulierum*, ex. gr. annuli digitales, armillæ, monilia, lunulæ pectorales, & alia. *Utenſilia* muliebria, qvæ ſecum in domum mariti novæ nuptæ attulere, vel ſaltem arcam ſeu armarium, qvod iſta utenſilia & jocolia continebat, qvemadmodum Romani *cumerum*, ita Boreales *dyngia* vocarunt. Niſi forte Borealium *dyngia*, qvam etiam innuptas virgines habuiſſe docet exemplum Kolfinnæ, (vid. *Hiſt. Ol. Tr. ed. Scalh. P. II. Cap. XXI. pag.* 83.), culcitæ vel cubiculi genus fuiſſe, atqve adeo cum Romanorum *lecto geniali culcitis inſtructo*, qvi totus erat a ſponſa, mittebaturqve, non ſecus ac cumerum, in pompa nuptiali cum dote. Unde dicitur ſterni a matre

R 5 puellæ,



puellæ; apud *Cicer. pro Cluent.* Multis auctoribus hic *lectus* dicitur *proprius matronarum.* De hoc porro lecto Mercerus: *non nego tamen in illo lecto interdiu ſedere ſolitas matronas, & lanam facere cum ancillis, & liberos etiam inſtituere;* vid. *Alex. ab Alex. Gen. Dier. Libr. II. Cap. V. Not. p.* 289. Qvæ qvidem omnia in Borealium *dyngiu* apprime qvadrant. *Res mulieri* præter utramqve dotem *muneri data,* vel ab amicis aut cognatis; vel a parentibus, qvemadmodum *tann-fe, donum pro dentitione;* vel a ſponſo, idqve aut ante nuptias, ut *feſtar-giöf, donum ſponſalitium*, aut inter nuptiarum ſolennia, ut, *lín-fe*, *beckiar-giöf, morgun-giöf,* Germanorum *Morgengaba,* illud ſcilicet, ut cum Juvenali loqvar, *qvod prima pro nocte datur,* & alia dona nuptialia, Græcis επαυλια δωρα vocata, inter qvæ θεωρητρα, οπτηρια, ανακαλυπτηρια, εδρα, προσφθεγκτηρια, υποβολα, &c. Hæc omnia, qvæ in uxoris dominio poſt nuptias manſere, nec cum dote in mariti poteſtatem tranſibant, Romanis *peculium uxoris*, Borealibus *gripir kono*, Græcis παραφερνα, dicta ſunt. Hoc matrisfamilias peculium a dote diverſum fuiſſe, & facto divortio, etiamſi dos divertenti uxori negaretur, peculium tamen uxoris nunqvam retinuiſſe maritum, ex multis auctorum locis adſtrui poteſt. Halla Lytingi filia, a Brodd-Helgio *divertens, e domo mariti peculium* ſuum ſecum *abſtulit, (hafdi med ſer gripi ſína)*, dotem autem, a fratre Geitero fruſtra poſtulatam, nunqvam recepit; *Hiſt. Vapnfyrd. Cap. VI.* Vigdiſa a marito Thordo Goddio temere divertiſſe viſa, & hanc ob cauſam dote ſpoliata, ſuum tamen *peculium (gripi ſína)* ſecum *auferebat; Laxd. Cap. XIX.* Droplauga Halſteino *ſine dote* nubens,

pecu-

peculium tamen aliqvod (*gripi nockra*) *in domum mariti* ſecum *attulit;* vid. *Fliótsdæla*, *Cap. XXIII.* Hinc Signya Grimkelo nuptura, a dote profectitia duas res, ad peculium ſuum pertinentes (*gripi tvo*), nempe monile & eqvum, diſtingvit; vid. *Vit. Hördi & Holmenſ. Cap. III.* *In* hoc *uxoris peculio interdum ſervi & miniſteria* fuerunt, qvos *aut* filiæ *pater*, vel *pro dentitione*, vel *ad nutricatum* & *famulatum domeſticum*, *aut* etiam nubenti ſponſæ *ſponſus pro dono nuptiali peculium*, ita qvidem ut doti non accenſerentur, *dederat.* Mancipia liberis pro dentitione interdum data fuiſſe, docet exemplum Thormodi Karki; vid. *Hiſt. Ol. Trygv. ed. Scalh. P. I. Cap. CLXXXIV. p.* 233. Apud Romanos & alios tam principis qvam patricii & eqvitis liberis, ſive filii eſſent, ſive filiæ, ſervos ſervasqve nutricios & nutrices olim dari ſolitos, patet ex *J. Cæſ. Bell. Civ. III.* 107. nec non *Hiſt. de Bell. Alexandr. c.* 4. Eadem qvoqve apud majores noſtros conſvetudo obtinuit. Certe qvinqve ſervos & octo ſervas, qvos ſecum occidi juſſit, *fóſtrman ſitt oc faderni*, *þat er Budli gaf barni ſino;* ɔ: *mancipia nutricia*, *ſibi a patre Budlio data*, vocat Brynhilda Budlii filia, in. *Edda Sæm. Od. Sigurdar-qv. Stroph. penult.* Domeſtici ejusmodi nutricii, qvales fuerunt Halgerdæ Thioſtolfus, (vid. *Niala*, *Cap. IX.*), & Signyæ Grimus Parvus, (vid. *Vit. Hördi & Holm. Cap. II. pag.* 71), nubentes plerumqve foeminas, ut *famuli peculiares*, comitari ſolebant. Servos ſervasqve ſponſæ, ſponſum in peculium interdum dediſſe, verba Atlii, qvi triginta ſervos & ſeptem ſervas novæ nuptæ Gudrunæ pro dono nuptiali (*mundr*) ſe dediſſe dicit; vid. *Edd. Sæm. Od. Atla-mál en Grænlendzco.* Antiqvita-



qvitatem ritus, qvo nutrices famuliqve a patre dati, filias nubentes, ut peculiare uxoris famulitium, feqvi confveverint, vel facra Patriarcharum hiftoria confirmat. Cæterum qvod *parapbernicum* hoc *uxoris famulitium* in mariti dominium nevtiqvam tranfierit, fed uxorem folam & vitæ & libertatis agnoverit arbitram, fuo exemplo, tam Brynhilda Eddica, fervos fervasqve fibi peculiares fecum perire faciens, qvam Tofva Sigurdi Kapæ uxor oftendit, qvæ, Jomfvikingis ad expeditionem Norvegicam fe accingentibus, duos famulos fibi peculiares, qvorum nomina Havardus Höggvande & Aflacus Holmfcalle, eximiæ fortitudinis viros, non marito Sigurdo, qvem minus dilexit, utut expeditionis focio, fed ejus fratri Bujo ad cuftodiam corporis donavit; vid. *Hift. Ol. Trygv. ed. Scalb. P. I. Cap. CXLVII. p. 172.* Qvod manifefto eft documento, *fervos parapbernicos, non mariti, fed uxoris heræ, qvæ in illos vitæ & necis, uti & alienandi & manumittendi jure fola gaudebat*, dominio fuiffe *obnoxios*; in fervos vero domefticos reliqvos nihil horum matrifamilias licuiffe, fupra oftenfum.

10) Qvousqve uxoris dominium fe extenderit, haud aliunde melius determinari poffe credimus, qvam ex officiis matrifamilias incumbentibus. Nimirum jus fuiffe uxori ad omnia illa, fine qvibus oeconómia penuária, regimen, difciplina, fuftentatio familiæ domefticæ, uti & educatio liberorum, qvatenus hæc duo poftrema ad matremfamilias fpectabant, honefte exerceri neqvibant. Civilia igitur, & in qvæ actio legis cadebat, negotia, ab uxoris arbitrio remota fuiffe, hæc obruffa commonftrat. *Sontium* autem *tutela* cum injuria ejus, qvem reus læferat, femper conjuncta,

juncta, actionem legis arceſſere potuit, & a cura familiæ domeſticæ prorſus aliena fuit, ideoqve *nec uxoris arbitrio* ullo modo *ſubjacebat*. Huic rei hiſtoria ſuffragatur. Thorbergi Arnæi uxor Ragnhilda, Erlingi Solenſis filia, cum abſente marito Steinum qvendam, qvem ob cædem villici regii Olafus Sanctus N. R. proſcripſerat, in domum & tutelam recepiſſet, redux maritus reum cædis abigere volebat, ſed precibus uxoris & filii diu fatigatus tandem ceſſit. Ut autem ab irato rege facti poſtulandus arceſſitur, fratrumqve ſuorum Finni & Arnii auxilia implorat, ab utroqve graviter reprehenditur, qvod uxori imperioſæ nimis obſeqvens, juſtæ regis offenſæ ſe ſuosqve expoſuiſſet. Coeptumqve temerarium, ab immodico uxoris dominio & reverentia (*ofqvæni*) profectum, minime ſibi probari Finnus dixit; vid. *Heimskr. T. II. Hiſt. VII. Cap. CXLIIX. pag.* 237. A marito divertens Vigdiſa, eoqvod cognatum ſuum ob cædem profugum, qvem ipſa tutandum auctoritate propria ſuſceperat, defendere nolens hoſtibus prodidiſſet, eam ob cauſam dote ſpoliata fuit, qvod temere & ſine cauſa ſontica divertiſſe videbatur, qvamvis in defendendo criminis capitalis reo maritum obſeqventem non habuiſſet; vid. *Laxdæla, Cap. XIX.* Thoreya moderatior, Kolum nutritium, qvi cædem patraverat, recipere non ſuſtinuit, priusqvam maritum ſuum Thorgilſum ad auxilium ipſi ferendum precibus induxiſſet; vid. *Hiſt. Floamann. Cap. XIX.* Unde liqvet arbitrariam noxiorum tutelam, rem ſane diſpendioſam & periculi plenam, qvam laudi interdum viri primores ſibi ducebant, uxorum lubidini non permiſiſſe majores. Et aliorum delicta tueri, ne princi-

pes




pes qvidem foeminas jure decere, ex Haconi Grandævi N. R. ad Margaretam Reginam verbis utcunqve colligitur. Cum enim Thorgilsum Bödvari filium immodestæ cujusdam petulantiæ rex redargueret, regina forte præsens: leviora delicta lasciviæ juvenili condonanda, & siqvid peccaverit, se causæ patrocinium & damna resarcienda suscepturam, dixit. Ad qvæ rex subridens: *ec veit ei hvort þú mátt nockudt á hendr tacast, meir enn svara fyri þic:* ɔ: *Haud scio, ecqvid, nisi tui ipsius tutelam & defensionem, in te suscipere, tuum sit;* vid. *Sturlunga, P. VIII. Cap. IV.* Qvæ jocabunda regis gravitas, qvid iis etiam temporibus, qvibus animi ferociam religio christiana dudum emollivit, hac in re senserint Boreales, innuere mihi qvidem videtur.

11) Horum qvædam per se clara sunt; pleraqve supra §. *XXIII. Not.* 5. & 6. demonstravimus.

12) Si post mortem mariti familiam domesticam aleret vidua, pleraqve potestas herilis & patria, qvam cum marito prius divisam habebat, in matremfamilias migraverit, necesse est. Unde non mirum, si *major viduæ in liberos & famulitium, qvam uxoris, potestas & auctoritas* fuerit. In negotiis qvidem & contractibus, qvi publice rati essent, dicis causa in propriis & filiarum nuptiis, in rerum magni pretii emtionibus, venditionibus, in adoptationibus, servorum manumissionibus, & aliis, sub tutelam sangvinis relapsa vidua, tutores legitimos adhibere auctores debebat. Agendorum tamen arbitrium rei dominæ plerumqve concessum; acta tutoris consensus & auctoritas confirmavit & publice rata fecit. *Sin* autem ob ætatem grandiorem, opulentiam, & hinc seqvacem tribulium existi-

existimationem, necessitudinum defectum aut neglectum, *viduarum tutela intermortua* esset, *nulla non patris & heri, imo civis,* si ab imperio civili & militari discesseris, *jura* exercuisse ejusmodi *viduæ* leguntur. Propria auctoritate Auda Radbiarto, (vid. *Suhms Hist. af Dannem. pag.* 469. 470.), Thyra, Thorgerda & Svala, (de qvibus supra, §. *XXVIII. Not.* 5.), nupserunt. Auda Prædives, Olafo marito filioqve Thorsteino Rufo mortuis, sola familiam pro lubitu, acsi ipsa esset *caput familiæ*, rexit, nepotum conjugia jubendo & moderando, terram occupando, & occupatam aliis donando, adoptandó, servos emendo & manumittendo; vid. *Laxdæla, Cap. V. VI. & VII.* conf. *Landnama, P. II. Cap. XV. seqv. p.* 107. *seqv.* Steinuna vidua rura emendo acqvisi-vit, & donando alienavit; vid. *Landn. P. V. Cap. XIV. p.* 376. *Rura nullius occupando sua facere*, lege qvidem *foeminis sui juris*, adeoqve *viduis, permissum;* suis tamen limitibus ista occupandi facultas restricta fuit; vid. *Landn. P. IV. Cap. X. p.* 307. 308. Sontibus etiam profugis hospitium tutelare præbuit Thorgerda Gesti Sapientis mater; de qva *Vita Gislii Surson. Cap. XXIII. p.* 159. *Hún var opt vön at taca vid skógar-mönnum: hún átti jardhús, var annar endi út vid ána, enn annar i eldhúsi, oc sér enn þessa merki:* ɔ; *Illa proscriptos hospitio tutelari recipere sæpe solebat. Hypogæum habebat, quod duplicem exitum, unum nempe in culinam domesticam, alte um ad amnem* (præterfluentem) *per cuniculos explicabat; cujus vestigia hodieqve visuntur.* Gunnarum Thidrandicidam, suæ tutelæ ab amico commendatum, non modo recepit Gudruna Osvifi filia, tunc vidua, sed & contra sponsum Thorkillum inter ipsas nuptiarum



rum solennitates adeo pervicaciter defendit, ut armata suorum manu, profugum, siqva vis inferretur, propugnaturam se minaretur; vid. *Laxd. Cap. LXXVI.* Qvinetiam cædem & vulnera famulis sæpius imperarunt viduæ, morigerosqve tutatæ sunt & remuneratæ; qvod, ut Gunhildam Regum-matrem & complures alias mittam, fecit Grima qvædam; vid. *Fóstbrædra-S. Mst.*

13) Uxores qvondam, natalium & necessitudinum fiducia matrisfamilias & sexus jura sæpe supergressæ, maritos per amorem sui & reverentiam conditionis ad non modo negotia publica suo arbitrio committenda, sed ad res qvoqve magnas & periculosas moliendas sæpius induxerunt. Ulvildæ uxoris impulsu & nobilitate fretus regnum Daniæ rebellis affectavit Ubbo; vid. *Saxo Gram. Hist. Dan. Libr. II. p.* 24. Maritum Hiartvarum ad Rolfum Krakium per insidias opprimendum Sculda commovit; vid. *Hist. & Libr. cit. pag.* 31. *seqv.* Bergliota, Haconi Potentis Comitis Hladensis filia, cædis reum contra maritum Thambaskelferum vel armis, si opus fuerit, defendere constituit; vid. supra, *§. XXIII. Not.* 9. Erlingi Solensis, qvi opibus, auctoritate & affinitatibus regiis pollebat, filia, sontem ab ipso rege proscriptum inconsulto & invito marito tutari præsumsit; vid. supra, *Not.* 10. De Thorbiarga Olafi Pavonis filia, Vermundi uxore, tradit *Vita Grett. Rob. Cap. LIV. p.* 125. *Hún var scörúngr mikill, oc stórvitr kona; hún hafdi herads stiórn oc skipadi öllom málom, þá Vermundr var ei heima;* ɔ: *Illa generosa & persapiens virago, qvoties maritus Vermundus domo abesset, publica tribulium negotia moderabatur, & lites omnes arbitra composuit.* Ut alias complures heroinas taceam.


14)

14) Vid. ſupra *Not.* 13. & §. *XXIII. Not.* 9.
15) Vid. ſupra §. *XXVII. Not.* 1—12.
16) Vid. ſupra §. *XXVI. Not.* 12. 13.

§. XXXI.

Nec *matrifamilias* ſua deerant *officia*, qvæ ex hactenus memoratis pleraqve facili alveo profluunt. *Maritis* enimvero amorem & fidem conjugalem (1), nec non honorem (2), obſeqvium & miniſteria liberalia (3); *famulis* ſervisqve mercedem pactam & alimenta (4); *liberis*, præſertim filiabus, diligentem educandi curam (5); *univerſæ* autem *familiæ* diſciplinam ac tutelam domeſticam (6), qvantum in ſe, uxores debebant.

1) Etiamſi qvasdam uxores & parum amantes conjugum, & minus caſtas, uti nulla non ætas & locus, ita vetus Septentrio habuerit, tamen Scythis aboriginibus & Germanis, qvos origo, ſacra, lingva & inſtituta fere communia cum Borealibus conjunxere, ea in re ſimillimos fuiſſe majores, ut ſua matrimoniis ſancta fides & reverentia viguerit, plusqve ibi boni mores valuerint, qvam alibi bonæ leges, in monumentis patriis, qvatenus priſcos Aqvilonarium mores illuſtrant, vel mediocriter verſatus non inficiabitur. Spectaculorum & conviviorum, qvæ ſatis crebra habuerunt, defectu, aut literarum, qvas, nempe runicas, ingenuæ atqve




liberaliter educatæ fere omnes noverunt, & internuntias adhibuerunt, ignorantia, ut feptis pudicitiæ, non eguerunt uxores Borealium; conf. *Tac. de Mor. Germ. c.* 19. Hinc tot heroica amoris & fidei conjugalis fpecimina, a prifcis Borealium uxoribus edita paffim leguntur. Qvædam maritos infideles & in amore inconftantes, qvæ res uxores peffime habere folet, adjuverunt, & mortis periculo eripuerunt; qvemadmodum Lathgertha (Hladgerda) Regnerum, (*Sax. Hift Dan. Libr. IX. p.* 170.) Hilda Hiörleifum, (*Hift. Alfi Regis, ejusqve Pugil. Mft.*) Thova Sigurdo Kapæ, cui tamen invita nupfiffe videtur, cum Bujum ejus fratrem maritum fe præoptaffe, & verbis & re monftraret, ad bellum Norvegicum proficifcenti promifit: *Ec fkal bída þín fva, at engi madr fkal koma í reckio mína, medann ec fpyr þic lífs;* ɔ: *Te vero ita præftolabor, ut, qvamdiu fuperftitem audivero, mafculum thori confortium non fim paffura;* vid. *Hift. Ol. Trygv. ed. Scalh. P. I. Cap. CXLVII. p.* 172. Aliæ viros infelices & profcriptos, per ærumnas, inopiam & vitæ pericula comitatæ, qvinetiam in ultima neceffitate conftitutos mafcule propugnarunt; ut Auda Giflium, (*Vit. Gifl. Surf. Cap. XXXIV.*); Helga Hördum, (*Vit. Hördi & Holm. Cap. XXXVII.*). Multæ maritos mortuos violento & voluntario letho infecutæ, vel lento & lethifico moerore doluerunt; vid. §. *XXIV. Not.* 6. Fuerunt etiam haud paucæ, qvæ cædem virorum acerrime vindicarunt, ut Hildigunna Höfkuldi; vid. *Niala, Cap. CXVII.* Gudruna Ofvifi filia Bollii; vid. *Laxdæla, Cap. LXVII.* Thordifa Thodda Helgii; vid. *Fliótsdæla, Cap. ult.* & plures aliæ.

2)

2) Uxores ſapientes maritos dignos, in qvorum manu & dominio fuerunt, & qvibus ſua & liberorum ſalus honorqve nitebatur, non ſolum amore complexas, verum ultronea etiam reverentia proſecutas eſſe, ex multis auctorum locis evincere perqvam facile. Bellum contra conjugis Ingebiargæ fratres, Helgium & Halfdanum, geſturus Fridthiofus Vegetus, priusqvam domo abiret, ſic cum uxore collocutus fertur: *Ufridr er kominn i vort ríki; hvörninn ſem hönom reidir af, þá viliom ver ei ſiá á ydor fædo. hon ſegir: þar er nú komit, at ver manom þic ædſtan láta:* ɔ: *regnum noſtrum hoſtes jam invaſere; qvaliscunqve vero fuerit belli exitus, non indigne te laturam cupimus. Cui illa: qvo, inqvit, res noſtræ nunc ſunt loco, tu nobis præcipuus habebere;* vid. *Vit. Fridt. Veg. Cap. ult.* Sic Auda Giſlium maritum, pro ſuis ex fratre nepotibus, qvi Thorkillum Giſlii fratrem occiderant, (vid. *Vit. Giſl. Surſon. Cap. XXX. p.* 169.), & Thoreya Thorgilſum pro Kolo, (vid. *Hiſt. Floamann', Cap. XIX.*), verecunde precatæ ſunt.

3) *Obſeqvia uxorum* per auctoritatem poſtularunt, & in re uxoribus, perqvam ingrata obtinuerunt, Thorſteinus Egilli filius, (vid. *Vit. Gunl. Vermil. Cap III. p.* 36. *ſeqv.*); Asbiörnus Detti-ás, (*Vit. Fimb. Rob. Cap. II. & VI.*); Helgius Asbiörni filius, (vid. *Fliotsdæla, Cap. XX. & XXI.*). *Uxores* porro *maritis miniſtraſſe* docet Niala, *Cap. XLI. Hallgerdr þiónadi Sigmundi eigi minnr enn bónda ſinom, oc lögdo margir þat til ords, oc þóttuz eigi vita hvat undir myndi búa:* ɔ: *Halgerda Sigmundo haud minus qvam marito ſuo miniſtrabat, qvod varios excitavit hominum rumores, qvorſum id tenderet, mirantium.* Hoc autem miniſte-

 rium,



rium, qvid & qvale fuerit, qvo magis innotescat, sciendum est, *in qvavis* fere *familia domestica foeminas viris ministrasse*. Ad ministerium qvod maritis præstitere mulieres, pertinebat 1) *cura vestitus*, 2) *capillitii*, & 3) *corporis medica*. Domestica hæc ministeria uxor marito, interdum etiam filio, fratri soror, hero & heræ famula præcipua, reliqvæ famulæ famulis, uti & hospitibus, pro eorum conditione magis minusve honoratæ, præstiterunt. Melcorca Höskuldi concubina hero & heræ ministrare, lectum herilem sternere, cubitum euntibus vestes detrahere easdemqve cubitu surgentibus suppeditare, nec non infantem, qvem Höskuldo pepererat, nutrire debuit; vid. *Laxdæla*, *Cap. XV.* Oddnyam Sororem Thorkillus, ut navis Norvegicæ magistro Ivaro Liomio, viro nobilissimo, qvem hyberno hospitio exceperat, ministrare (*þióna*) vellet, rogabat; illa vero hoc ministerium, mali exinde orituri præsaga, frustra deprecabatur. Haud tamen vana fuit vates, qvippeqvam Ivarus constupravit, gravidamqve ducere uxorem recusavit, factum inficiatus; vid. *Hist. Ol. Trygv. ed. Scalh. P. II. Cap. XIII. p.* 21. 22. Qvandoqvidem autem rei vestiariæ cura universe foeminis mandata fuit, qvarum lanificum & linificum omne opus erat; nendi enim, nectendi, texendi, suendi, sarciendi, acupingendi, & qvæcunqve fuerunt artes vestiariæ apud Germanos olim æqve ac priscos Boreales & alias gentes, inter peculiares mulierum functiones numerari solebant; vid. *Cleff. Antiqv. Germ. Sept. Cap. V. §. VI. pag.* 211. conf. *Sax. Gram. Hist. Dan. Lib. II. p.* 29. *Libr. V. p.* 68. *Libr. IX. p.* 172. ita *marito vestes parare, reficere, servare, uxoribus* speciatim *incubuit*; vid. *Vit. Gislii*

Gislii Surson. Cap. IX. p. 137. *Laxd. Cap. XXXIV.* Qvin & tegmina corporis bellica a foeminis interdum confecta, Aslaugæ, qvæ marito Regnero Lodbrochio, Alvaræ, qvæ Örvar-Oddo, tunicas ferro infecabiles dedere, & aliarum exempla monstrant. Ad peculiaria porro foeminarum erga viros officia referri potest *cura capillorum.* Crines enim, ut præcipuum hominis a natura ornamentum, non foeminas solum Boreales, sed viros etiam sedulo coluisse, ex plurimis auctorum locis colligitur. Post insignem Hakoni Hladarum Comitis de Jomsvikingis victoriam, cum de captivis supplicium sumeretur, productus est inter alios Sveinus Buji filius; qvi cum egregie crinitus esset, non vitam, sed eam solam ab hostibus gratiam petebat, ut qvidam ingenuus sibi, dum caput praecideretur, prehensos teneret capillos, &, ne sangvine fædarentur, caveret; vid. *Hist. Ol. Trygv. ed. Scalh. P. I. Cap. CLXI. pag.* 192. Hunc virum Sigurdum nominat *Heimskr. T. I. Hist. VI. Cap. XLVI. p.* 249. Curam capillorum tria maxime constituebant, *crines* nempe *lavabantur, pectine comebantur,* & *attondebantur.* Germanos qvidem caput & crines non modo lavisse & pexuisse, docent illa Juvenalis; ubi madidum a lotione cirrum innuere poëta videtur:

Cærula qvis stupuit Germani lumina, flavam
Cæsariem, & madido torqventis cornua cirro?

Sed Burgundiones butyro etiam capillos ungere consvetos, testis est Sidonius Apollinaris:

Qvod Burgundio cantat esculentus,
Infundens acido comam butyro.

Acidum hic butyrum pro salso figurate dictum existimat *Cleffelius, libr. cit. Cap. IX. §. I. pag.* 309. Ego




vero figura nihil opus arbitror. Acidi enim butyri, in toto olim, ni fallor, Septentrione, non qvidem ad ungendos crines, sed ad cibos & medicamina, usum invaluisse, obsoletæ custos antiqvitatis Islandia etiamnunc testatur. Capillos autem butyro aut alio ungventi genere ad ornatum delibuisse Boreales non reperio. Haraldus Pulchricomus, Norvegiæ monarchiam conditurus, votum solenne nuncupavit: non passurum se crines sibi comi tonderive, priusqvam universo Norvegiæ regno esset potitus; vid. *Heimskr. T. I. Hist. III. Cap. IV. p.* 78. Votiqve fidem servavit, per decem annos comam impexam intonsamqve gestans; donec totius jam Norvegiæ dominus, a Rögnvaldo Mærensium Comite crines tonderetur; vid. *Libr. & Hist. cit. Cap. XXIII. pag.* 99. Hoc crines comendi tondendiqve ministerium, sive ob majestatis reverentiam, sive ut votum religiose susceptum, solenniter exsolveretur, imperanti hic Comes præstitit. Communiter autem mulieres in viros illo munere defungi sveverę; vid. *Vit. Biörni Hitdal. Athl. Cap. XXXIV.* Peculiaris etiam *uxoris*, interdum etiam speratæ conjugis fuit *functio*, ut *marito* aut amasio *comam* capitis *lavaret*, *comeret* & *tonderet*; vid. *Reikdæla, Mst.* ubi Gudruna Otryggo marito caput lavit; & *Vit. Vigl. Pulchr. Cap. XIV.* ubi de Viglundo peregre abituro, & suæ Ketilridæ valedicturo, narrat auctor historiæ: *Hann bad hana þá skera hár sitt, oc sva gördi hún; enn er þat var gört, mælti Viglundr: Þat læt ec verda mælt, at eingin skeri hár mitt ne heldr þvoi höfut mitt medan þú lifir:* ɔ: *Ketilridam ut capillos sibi tonderet, Viglundus rogabat; qvod & illa fecit. Hoc autem peracto, Viglundus: votum, inqvit,*

inqvit, nuncupo, tonsuram crinium meorum, te viva nulli alii me permissurum. Nec fidem fefellit Viglundus; de qvo in Norvegia peregrinante, *Libr. cit. Cap. XVII. pag.* 30. *Einn dag er þeir voro kalladir til haufut-þvottar, þá segir Viglundr: engann haufut-þvott skal ec hafa, oc engann hefir ec haft, sidan vid Ketilrídr skildom; let Viglundr ecki vaska ser: ɔ: Die qvodam, cum ad lavandos crines vocarentur, dixit Viglundus: postqvam Ketilridæ valedixi, coma nunqvam mihi nec lavata fuit, nec lavabitur, capillosqve sibi lavari non passus est Viglundus.* Idem officium *matrem* etiam *filio* præstare solitam loqvitur cygnea Asbiörni Prudii cantio, qvam inter lethificos, dum a gigante, vel potius latrone Brusio vivus evisceraretur, dolores fudisse traditur; conf. *Hist. Ol. Trygv. ed. Scalh. Append. p.* 13.

Segi þat minni módor i.e.	*Mea genitrix rescifcat,*
mun hún ei syni kemba	*Se non pexuram filio*
svardar lád i sumri	*Hac æstate cæsariem,*
Svanhvít í Danmörko.	*Svanhvita in Dania.*
Hafda ec henni heitit	*Illi etenim promiseram,*
at heim mundac koma,	*Domum me rediturum:*
Nú man seggi á sído	*Mihi sed latus ensis*
sverds egg dregin verda.	*Nunc acutus exsecabit.*

Nec vestitus solum & crinium, sed reliqvam etiam *corporis*, præsertim si saucius opis medicæ, cujus peritia & facultas foeminis Borealibus qvondam fere propria, aut balneo maritus egeret, *curam*, *uxores suam esse crediderunt.* Ab expeditione Norvegica reduci Comiti Sigvaldio, Jomsvikingorum principi, uxor Astrida ad vulnera, ut volebat, curanda balneum paravit; *nec ad balneare hoc mariti ministerium alias admittere foeminas volebat*, (*oc hlýtir ecki Astrídr*

 ödrom



ödrom konom ár þióna bönom i lauginni); vid. *Hist. Ol. Trygv. cit. P. I. Cap. CLXIII, p.* 195. Hæc præcipua fuere ministeria, qvæ soli marito præstare uxori decorum, & a sola uxore sibi præstari maritis gratissimum fuit. Adeo enim, feroces ne dicam, an delicati, nescio, Boreales erant, ut vilis aut invisi hominis ministerium, qvantumvis sibi necessarium, sæpe dedignarentur & respuerent. Sic foeminæ, deformitate & vestitus sqvalore monstrosæ, vitam debere vix tandem persvaderi potuit Grimus Hirsutigena, teste ejus *Vita, Cap. II.* Sub conditione matrimonii vitam & salutem vix acceptat Thorsteinus Vikingi f. teste ejus *Vita, Cap. XVII. & XIX.* Oblatum a sordidæ & indignæ conditionis hominibus auxilium & medicinam animose repulit Starcatherus; vid. *Sax. Gram. Hist. Dan. Libr. VI. p.* 111. 112. Hic autem, ubi de *obseqviis* & *ministeriis* ab uxore viro debitis sermo instituitur, *honesta* solum, & ingenua forte non indigna, *intelligenda* veniunt. Viles enim & serviles operas uxori mandare non minus turpe maritis fuit, qvam mandatas exseqvi uxoribus indecorum. Oddnyam uxorem, dum famulas aliæ distinerent operæ, ut oves mulgeret, forte Thordus qvidam rogavit. Illa viciffim cortem exstercorare maritum jussit. Indignatus uterqve, neuter mandata capessivit; vid. *Vit. Biörni Hitdal. Athl. Cap. XI.*

4) *Victum* ad alendam familiam necessarium uxori prospicere ac *suppeditare mariti, dispensare* & depromere *uxoris* erat, qvæ penuaria dispensatio potestatis clavium partem fere principem constituit; vid. *§. XXIII. Not.* 3. 4. *§. XXIX Not.* 5. Glamus opilio festi Jolensis vigilia, qvo tempore jejunare alii solebant, cibum sibi depro-

mere

mere matremfamilias invitam coëgit; vid. *Vit. Grett. Rob.Cap. XXXIV. p.* 111. De Bergthora Niali uxore, mortis suæ præscia, memorat *Niala, Cap. CXXIIX. Aptan enn sama mælti Bergþóra til hióna sinna: nú skulo þer kiósa ydor mat í kveld, at hverr hafi þat er mest fysir til; þvíat þenna aptan mun ec bera-sidarz mat fyrir hión min:* ɔ: *Familiam domesticam eadem vespera affata Bergthora dixit: hoc vespere, qvo postremo domesticis meis cibos ministrabo, vobis ipsis escas eligite, qvo singuli, qvod cuiqve maxime ad palatum fuerit, eduliorum genus habeatis. Ciborum* igitur *diversa genera*, alia *qvotidiana*, alia *exqvisitiora* fuerunt. Hæc festis diebus vel conviviis reservabantur. Gratos etiam hospites aut honoratiores, qvin & operarios domesticos post statos & anniversarios labores oeconomicos exantlatos dape lautiori certis anni temporibus beare solebant. Sic *operarios* autumnali tempore, *post foenisecium ove mactanda donare* heris ruralibus in Islandia moris fuisse, testis est *Heimskr. T. II. Hist. VII. Cap. CCXXI. pag.* 349. Ubi pro *slâtra-saud*, ove mactanda, ego qvidem *slâtta-saud, ovem foenisecii*, legendum existimo. Pro *mulctu pecudum* certo etiam æstatis tempore *ancillas epulis excipere* sveviſſe matresfamilias, docet *Vita Lioti Vallensis, Cap. I. Mst.* Ubi Hallum filium ad porcum sibi qværendum mater amandat, his verbis: *et â at reida af hendi mâla-giöld grid-konom vorom*: ɔ: *epulum enim mulgarium famulabus instruendum debeo.* De variis porro cibis apud majores nostros catholicos certis anni tempestatibus vel licitis vel interdictis, hic plura loqvendi non est locus. Horum autem omnium



cura & difpenfatio cuivis matrifamilias, atqve adeo uxori incubuit.

5) *Liberos* communes liberaliter *educare & inftituere*, *commune* qvidem *parentum* fuit *officium*. Paterna tamen difciplina filios præfertim, filias materna formavit & coërcuit. Præter *religionem publicam*, qvæ notitiam deorum, facrificiorum cærimonias, aliosqve ritus religiofos continebat, etiam *jurisprudentiam (lög-fpeki)*, *poëfin (fkáldfkap)*, *rúnas* f. *literaturam runicam*, nec non *artes & exercitia corporis militaria*, *a patre* plerumqve vel nutricio, *religionem* autem *arcanam*, nempe myfticam illam & energeticam facrorum fcientiam, qvam peculiari deorum ope & interventu, certis fymbolis provocato, ad auxilia aut damna ferenda res miras ac præternaturales, efficere perfvafum habebatur, nec non *artem genealogicam (ætt-vífi)*, *pueri juvenesqve a matre* vel nutrice ut plurimum *didicere*. Abftrufiorum certe f. magicarum artium magifterium deabus ideo attribuiffe veteres Boreales, qvod fcientiam plerumqve maleficam, & cum horrendis ritibus conjunctam, ethnicis etiam temporibus non modo abominarentur mares, fed leges qvoqve publicæ vetarent, teftatur Snorrius; *Heimskr. T. I. Hift. I. Cap. VII. p.* 12. & *Hift. III. Cap. XXXVI. p.* 114. Et circeas has officinas potiffimum foeminas exercuiffe hiftoria paffim commonftrat. *Medicæ* qvoqve *artis*, qvam ingenuas foeminas præcipuo ftudio coluiffe notum eft, *peritiam* qvin *liberis matres tradiderint*, non eft, de qvo dubitemus. *Filias* vero *docebant matres* nobiliores & gnavæ *artes liberales foeminarum*, qvas, *hannyrdir* f. *handyrder*, i. e. *artes manuarias*, majores

majores appellarunt. Hæc mulierum artificia in veſtimentis affabre conficiendis, & rerum variarum vel aureis vel coloratis figuris, opere textili, nexili, aut acupictorio exornandis maxime verſabantur. Opus auro intertextum, *gud-vefr* vocarunt Boreales. Chirothecas auro ductili circumſutas, (*glófa gullſiallada*), Gunnaro abituro muneri dedit Haraldus Gormii filius, vulgo Blaatand dictus D. R. vid. *Niala, Cap. XXXI. p.* 46. Artificia illa muliebria a nutrice Vefreja Aſa didicit: *Aſa hin fagra var þar á fóſtri medan hon var. úng, oc nam handyrdir af Vefreyo:* ɔ: *Alumnam Aſam Pulchram, dum adoleſceret, non modo educabat Vefreja, ſed artes etiam mulierum manuarias docebat;* vid. *Vit. Sturl. Labor. Cap. II. Mſt.* Harum artium præ aliis perita Olufa filiam Helgam & alumnam Ketilridam inſtituit, domiqve ſuæ *officinam veſtiariam (ſaúma-ſtofa)* habuit; vid. *Vit. Vigl. Pulch. Cap. VI. p.* 19. & *Cap. VII. p.* 20. Artis etiam in Dania antiqvitatem & nobilitatem, cum pervetuſti artis laborioſæ & pretioſæ indices tapetes aliqvot & aulæa, tum his longe vetuſtior Edda Sæmundi, pannoſa illa ſcilicet & fere delira antiqvitatis intermortuæ præfica. In *Oda*, qvæ *Gudrúnar-qvida* dicitur, ita de ſe Gudruna Giukii filia:

Sat ec med þóro i. e.	*Conſedi apud Thoram*
ſiau miſſeri	*Septem per ſemeſtria,*
dóttur Háconar	*Filiam Haconi,*
i Danmaurco.	*In Danmarchia.*
Hon mer at gamni	*Illa, mibi datura jocos,*
gull-bócadi	*Figurabat auro textili*
ſali ſudræna	*Palatia Germanica,*
oc ſvani danſka.	*Danicosqve cygnos.*

Haufdo



Hausdo vid á scriptom	*Acu effigiata dedimus*
þat er scatar leco	*Gesta fortium virorum;*
oc á hannyrdom	*Arteqve docta pinximus*
hilmis þegna.	*Imperantis agmina;*
Randir raudar	*Scuta rubro colorata,*
recca Húna	*Juventutem Hunnicam,*
hiör-drótt hiálm-drótt	*Ense galeaqve tectam,*
hilmis fylgio.	*Regisqve comitem junonem.*
Seip Sígmundar	*Sigmundiana classis*
serido frá landi	*Prolapsa reliqvit oras,*
gyllar grímor	*Auro capistrata*
grasnir stafnar.	*Proras & torevmatis.*
Byrdo vid á borda	*Phrygione varius penicillo*
þat er þeir bördoz	*Tapes nobis repræsentavit*
Sigar oc Siggeir	*Sigarum Sigeirumqve*
sudr á Fivi.	*In Fivia deprælianites.*

Hic igitur ædificia, aves, heroum res gestas, (forte ludos, ex. gr. venationes) milites, arma, acies, genios, naves, earumqve ornatum & insignia; nec non prælia, acu vel pectine muliebri depicta, videsis lector.


6) *Familiam domesticam materfamilias*, utpote honoris mariti, nec non potestatis patriæ & herilis particeps, *suo imperio & disciplinæ obnoxiam habebat*; vid. supr. §. *XXX. Not.* 5. 6. 7. Occisi Sigmundi caput præcisum opilioni, ad Halgerdam deferendum, tradidit Skarphedinus; qvod mandatum, iram heræ præmetuens, exseqvi ille non sustinuit; vid. *Niala, Cap. XLV. p.* 71. Suo etiam patrocinio & tutela famulitium domesticum protexere matresfamilias, ejusqve injurias & cædes, sicubi liceret, nonnumqvam sunt ultæ. Patet hoc exemplis, cum Astridæ, *(Vit. Viga-Glumi, Cap. VII. p.* 193. 194.), cum Bergthoræ &

Hal-

Halgerdæ, qvæ domesticorum cædes cædibus rependebant. Tutam hanc securitatem post cædem Svarti Kolo promisit, non præstitit, Halgerda; vid. *Niala, Cap. XXXVI. p.* 53. *Sva scal ec þic vardveita, at þic scal ecki saca:* ɔ: *Mea te custodia ab omni læsione tuebitur.* Atlio uxoris Bergthoræ nomine pollicitus est Nialus, cædem ipsius sangvine vindicatum iri; vid. *Libr. cit. Cap. XXXIIX. p.* 17. Cujus promissi fidem interfecto Atlio etiam Bergthora servavit; vid. *l. cit. Cap. XXXIX.* Utrum autem *famulæ ab hac pace & sanctitate domestica, grid-konr*, sint appellatæ, non dixerim; hoc certum, qvod domesticum famulitium, maxime autem pueros & famulas, & universe foeminas violare & occidere, vel hosti ignominiosum fuerit, vid. supr. §. *XXIV. Not.* 3. Hinc in incendio Bergthorshvoliano, ædibus Niali jam deflagrantibus, cum omnes pacis conditiones abnueret Flosius, *foeminis* tamen, *pueris, & maribus operariis, (konom oc börnom oc húskaurlom) exitum permisit;* vid. *Niala, Cap. CXXX. p.* 200.

CONSPECTUS OPUSCULI.

§. VIII.



§. VIII.

Filia virgo, paterno imperio usqveqvaqve obnoxia, in optione mariti nullum, nisi qvod pater aut tutor indulgentior concesserit, suffragandi jus habuit, adeo ut ad ingratas nuptias cogi potuerit. Sine consensu patris aut tutoris nubens, ipsa cum liberis exhæredari, & qvi duxisset, virginis ingenuæ raptæ & stupratæ reus peragi, publicæqve securitatis exsors reddi poterat. Vidua autem absqve autoritate patris aut tutoris iterum nubere non debebat; refragandi tamen jure gaudens, ad ingratos thalamos adigi neqvibat. Virginem pater aut tutor, vidua semet ipsa despondebat. Primis filiæ nuptiis patria potestas sublata, vel saltem imminuta. - - p. 22—26.

§. IX.

In uxore legenda viri spectabant, 1) *natalium & affinitatum claritatem ac potentiam*, 2) *generosam animi indolem* (skörungs-skapr), 3) *pulchritudinem*, 4) *dotem & spem hæreditatis. Foeminæ in sponso desiderabant*, 1) *generis nobilitatem vel honestatem*, 2) *vultum virilem staturamqve militarem*, 3) *rerum armis gestarum celebritatem. Utrinqve sacra communia & ætas non admodum dispar qværebatur. Veterum auguria ex vultu Boreales*, svipr, yfirbragd, *vocarunt.* (*Not.* 10.). - - - p. 26—30.

§. X.

Procatio & iter procatorium (bonords-för). *Qvi foeminam nuptiis ambiret, ipse procatum ire debebat, comite patre, propinqvis aut amicis, Olim Reges & Principes etiam peregre ipsi procatum ibant; deinceps autem legatis hoc negotium mandabant. Plerumqve non ipse procus, sed ipsius, etsi præsentis vice proxeneta, pater, aut qvi patris loco, cupitæ foeminæ nuptias postulabat. Hic etiam, si placerent nuptiæ, de conditionibus matrimonii cum patre vel tutore mulieris transigebat. Contractus nuptialis legitime ratus*, festar, *sponsalia, dicebatur* - - - p. 30—32.

§. XI.

Ad sponsalia pertinebant I) *procatio, ad consensum tutoris aut foeminæ impetrandum.* II) *Actus s. contractus sponsalitius, qvo* a) *procus uxorem sibi stipulabatur:* b) *tutor foeminam, vel semet ipsa in matrimonium despondebat; hæc pactio reciproca*, eginn-ord, *dicta:*

III)



III) conventiones conventæ matrimonii : IV) ritus sponsaliorum legitimi. - - - - p. 32. 33.

§. XII.

Conditiones conventæ matrimonii (festa-máldagi), *vel I) nuptiarum tempus & locum definiebant, vel II) pecuniariæ fuerunt. Temporis sponsalitii pro circumstantiis & contrahentium arbitrio diuturnitas varia, aut brevior & aliqvot mensium, qvantam præparandæ nuptiæ & dos eroganda poscebat, aut ob peregrinationem vel graviora negotia, prius peragenda, longior; qvo triennium sponsalitium, olim usitatum pertinet. Locus nuptiarum communiter apud sponsam, ejusqve patrem aut propinqvos; interdum, in honorem sponsi nobilioris, apud ipsum, ejusve cognatos.* - - p. 33—35.

§. XIII.

Conventiones sponsaliorum pecuniariæ, (festa-kaupmáli), *reciprocæ fuerunt: I) a parte sponsæ pater aut tutor dotem dicebat & promittebat, simulqve incrementum dotis a marito dandum stipulabatur. Dos a patre danda,* heiman-fylgia, *lat. dos profectitia, a marito danda,* tilgiöf, *dos adjectitia, dici svevit, dimidiæ doti plerumqve æqvalis; utraqve,* máli *ac* mundr, *vocata, & utraqve receptitia fuit; qvæqve hac conditione nuberet, foemina,* mála-kona, *appellari solita. Altera conventio sponsalitia fuit, ut soluto matrimonio bona communia inter conjuges, eorumve hæredes, ex æqvo dividerentur. Hæc conventio,* helmingar-fiárlag, *vocabatur. Hæ conventiones olim verbales erant, adhibitis tamen testibus. Cum literis deinceps instrumenta sponsalitia in usu esse coeperunt.* - - p. 36—38.

§. XIV.

A parte sponsi pater aut proxeneta alius, antiphernam s. pecuniam maritam, (kvanar-mundr), *dicebat & promittebat. Veterum Borealium matrimonia fuerunt nuptiæ per coëmtionem; unde contractus sponsalitius,* kaup, *coëmtio, & uxor dote addititia coëmta,* kona mundi keypt, *crebro vocatur. Dos profectitia in Septentrione utiqve antiqvissima fuit, utut Tacitus Germanorum veterum uxores e domo patris indotatas nupsisse perhibeat.* (*Not.* 11.). - p. 38—41.

§. XV.

Ritus sponsalitii tres: nempe I) contrahentes dextras jungebant; hinc contractum a parte spondentis, hand-saul, *a parte stipulantis,* hand-

handfestning, *& in negotio sponsalitio* festar *Boreales vocabant. Si sponsa virgo, eum patre vel tutore sponsæ, sin vidua, eum ipsa sponsa sponsus dextras jungebat.* II) *Testibus denuntiabant ambo contrahentes; nempe sponsus & pater s. tutor sponsæ, utpote autor matrimonii, sive virgo sive vidua locaretur. Testes autem esse debebant classici, nimirum in colonorum tribu & numero constituti, & antestanti nulla cognatione necessarii. Jure coloni gaudebat, qvi vel* 1) *focum* (eldstó, *dan.* Madskab) *domi haberet, vel* 2) *rem pecuariam* (málnytia) *faceret, vel* 3) *fundi, qvem inhabitaret, esset dominus.* III) *Verba concepta s. formulam solennem sponsaliorum ambo contrahentes proferebant. Annulum pronubum aut arrham sponsalitiam, ut in legitimis sponsaliis necessariam, Boreales ignorabant.* p. 42—45.

§. XVI.

Sponsalia legitima non erant, nisi I) *consensu patris aut tutoris foeminæ impetrato; nisi* II) *inter ingenuos,* III) *matrimonio solutos, &* IV) *sangvinis necessitate proxima non conjunctos. Hinc ingenuorum cum obnoxiis, aut servorum inter se conjugia* (þræla-hagr), *legitima matrimonia non censebantur. Polygynia simultanea in Septentrione nunqvam licita; unica tantum uxor legitima. Incesta conjugia semper abominanda, & proximos saltem cognationis gradus, ex. gr. cum matre, sorore, filia, prohibitos Boreales etiam ethnici existimarunt. Christiani juris canonici præscripta secuti sunt.* p. 45—47.

§. XVII.

Mulier in matrimonium sperata hugdar-kona, *& procus sperans* vonbidill, *in matrimonium pacta* heit-kona, *dicebatur. Data de matrimonio ineundo fides inter speratos conjuges violata* laus-mæli, *inter pactos* brigd-mæli, *inter sponsos* trygd-rof, *dicebatur. Ista qvidem inimicitiarum æqva videbatur causa; illa vero & hæc injuriæ genus fuit, actioni legis vel vindictæ armorum obnoxia. Speciatim fides inter sponsos non servata, perjurii promissorii* (eid-rof) *instar habebatur, fideiqve violator* vara-vargr (*foedifragus*) *est appellatus. Corporis commercium ante nuptias sponsis illicitum, & foeminæ ejusqve cognatis ignominiosum.* - - p. 47—50.

§. XVIII.

Sponsalia rite peracta justæ nuptiæ seqvebantur. Utrisqve prævíis, legitimum, si alterutrum abesset, illegitimum, & si utrumqve, nullum erat matrimonium. Viri enim cum muliere post sponsalia &



ante nuptias consvetudo, stuprum, & nuptiæ sine sponsaliis, skyndi-bryllup, ɔ: *conjugium subitum vocatum, legitimi matrimonii effectus non sortiebatur. Ex matrimonio inæqvali (ad morganaticam) & uxore secundaria nati liberi, naturales erant, non legitimi qvidem, sed nec spurii. Patri ab intestato non succedebant, legitimari tamen poterant, &, si legitimi non essent, suopte legitimati dignitatem & bona patris hæreditabant. Ejusmodi autem matrimonia non nisi Principi usitata nec licita.* - - - p. 50—52.

§. XIX.

Liberi ex legitima uxore suscepti legitimi, skilgetin v. skírborin börn, *ex alia,* illegitimi *fuerunt. Filius illegitimus ex uxore secundaria natus,* naturalis, *ex pellice v. concubina* nothus, fridlo-sonr, *ex adultera* hórgetinn, *ex ancilla* ambáttar-sonr, *ex serva* þíar-sonr, *ex meretrice* pútu-sonr, *ex incestu* meingetinn, *dicebantur. Illegitimi omnes matrem seqvebantur, & paternæ hæreditatis exsortes* (ecki ódalbornir) *erant; dona illis pater, invitis legitimis, dare potuit. Infames qvidem non fuerunt, a macula tamen natalium non prorsus exemti. Pater vel legitimis liberis carens, vel cum consensu legitimorum, & nothos legitimare, & alienos liberos adoptare potuit, qvæ adoptatio plerumqve simul nutricia fuit.* - p. 53—55.

§. XX.

Extra conjugium amata mulier, qvæ amantem non aversabatur, vinkona & unnusta *dici svevit. Pudicitiam mulieris attentare,* (at fifla kono), *credebatur, qvi mulierem freqventius, absqve procandi consilio, conveniebat, ac sine arbitris alloqvebatur. Hoc cum famæ & fortunæ mulieris damnosum, inqve ejus patrem aut propinqvos contumeliosum videretur, tentatori præsumto domus foeminæ interdicebatur, qvod,* at vanda um, *olim vocatum; id si tentator negligeret, injuria tam armis & vi, qvam actione legis coërceri & vindicari solebat. Amator honestus* bidill, *inhonestus* fridill, *audiebat. Stupri crimen,* legords-fauk, *non nisi in ingenuam committi potuit, & capitale,* skóggangs-fauk, *habebatur. Cum servabus autem vel palam impudicis tuta venus, mulcta leviore luebatur. Raptio autem atqve plagium foeminæ ingenuæ intra patriam communem capitalia erant; cum rapta tamen conjugium, consensu tutoris deinceps impetrato, legitimari potuit. Extra patriam communem raptæ foeminæ jure prædantium consvetudinario pro mancipiis habebantur, & prostitui ac venundari poterant.*

Mari-

Maritatam corrumpere, at leggiaſt med konu manns, *adulterium erat: ad adulterium maritatam ſolicitare*, at glepia kono manns, *dicebatur; utrumqve flagitioſum & capitale. Siqvis ſolutam absqve ſpe nuptiarum in contubernium adſciſceret*, at taka konu fridlo-taki, *& ipſa actio* fridlo-tak, *atqve foemina adſcita* fridla, *dicebatur. Hæc, ſi non maritato conſtantius adhæreret*, fylgdar-kona *Borealibus, uxor ſodalitia, uſuaria, & qvatenus ſine dote adſumta, uxor gratuita Romanis dicebatur; ſi maritato præter uxorem adſveſceret, Romanis* pellex, *Borealibus* fridla ſtricte, *audiebat. Uxor cum pellice, vel plures ejusdem viri concubinæ, relativo nomine* eliur, *maritus autem & moechus, vel plures ejusdem foeminæ moechi*, qvidmágar *adpellati ſunt.* p. 55—61.

§. XXI.

Stupra & concubitus in Septentrione olim freqventia, adulteria rara, inceſtus rariſſimi, pæderaſtia & crimen beſtialitatis inaudita fuerunt; ſicubi enim intercurrit mentio ejusmodi foeditatum, vel ad opprobria conficta, vel ad mythologiam referendæ, fidem hiſtoricam nec habent, nec præ ſe ferunt, (Not. 2.). *Haud ſecus etiam fabuloſa ſunt, qvæcunqve de hominum cum geniis congreſſibus traduntur*, (Not. 3.). *Qvin & Jötnorum, Septentrionis aboriginum, matrimonia, Boreales, Odinianæ religioni addicti, ut illegitima & inauſpicata deteſtabantur*, (Not. 7. & 8.). - p. 61—69.

§. XXII.

Ciendi foeminarum amoris rationes vel honeſtæ & licitæ, ut munera, blanditiæ, vel inhoneſtæ & illicitæ, veluti philtra, magici characteres & incantationes. PHILTRA *miſcendi ars non minus Borealibus, qvam Græcis Romanisqve olim uſitata; ſemper tamen nefaria & periculoſa habebatur, utpote qvæ pro optato effectu, mentis alienationem, morbos & mortem intulerit. Philtra Borealium amori inſervientia, fuerunt vel* 1) *ſomnifera ſ. narcotica, qvæ fruendi amoris cauſa dabantur; v.* 2) *oblivioſa ſ. lethea*, óminnis-veigr & óminnis-aul *dicta, anteriorem foeminæ amorem, ne novo & excitando officeret, delebant, vel* 3) *amatoria ſ. erotica, qvæ amorem excitabant. Hæc philtra proprie dicta*, minnis-aul & minnis-veigr (mynnis-veigr) *vocabantur. Mixtura philtrorum apud exteros & Boreales non eadem. Certi etiam characteres & incantandi formulæ philtris vim magicam addere credebantur. Habuerunt etiam tam exteri, qvam Boreales qvædam adverſus philtra amuleta & philacteria, qvæ, qvatenus cha-*

 racte-



racteribus averruncis constabant, aulrúnir, o: *literæ potoriæ, in Edda dicuntur,* (*Not.* 2.). Characteres, *qvi magica virtute in animos mulierum dominari credebantur, v.* 1) *hostiles & malefici erant, qvi amorem spretum furiis & mentis impotentia ulciscebantur; v.* 2) *amatorii s. erotici, qvi foeminam ad amandum stimulabant: hi,* manrúnir *olim vocati, bacillo ligneo* (rúna-kebli) *inscribi, & in lecto fasciinandæ, aut sub limine, qva transitura esset, poni solebat. Characterum efficacia, illis abrasis cessabat, vel per characteres averruncos, qvi contrarii erant effectus, tollebatur. Characteres erotici, qvi extra Septentrionem etiam usitati, literæ primum alphabeti runici vulgaris, sed certis virgulis & punctis pro arbitrio confictis deinceps variati & depravati videntur. Magia ista symbolica, utpote Græcis Romanisqve ignota, Borealibus peculiaris, & ab Odino in Septentrionem invecta, indeqve in reliqvam Europam dispersa, ipso tamen Odino longe antiqvior fuit,* (*Not.* 3). Carmina *etiam s. incantationes magicæ amorem foeminenm vel excitabant, vel sopiebant,* (*No.* 4.). *Certamina singularia* (holmgaungr) *ad modos acqvirendi matrimonii legitimos referendæ,* (*No.* 5.). - - *p.* 69—85.

§. XXIII.

Effectus matrimonii a parte mariti fuerunt jura & officia virorum. Matrimonium initum jus geminum dabat marito; nempe I) *in uxorem,* & II) *in liberos. Jus patris in liberos potestatem patriam constituebat, cujus prima pars fuit, jus infantes recens natos tollendi & exponendi. Nimirum Romanis pariter ac Borealibus circa infantes recens natos triplex ritus observatus: infantis scilicet humipositio, expositio, aut susceptio.* I) Humipositio *ex Landnama &c. probatur.* II) Expositio infantium *omnibus fere gentibus olim solennis, Borealibus autem magis licita qvam honesta. Exponendi arbitrium penes patrem, aut, si hic abesset, penes tutorem matris, sive qvisqvis imperio in familiam gaudebat.* III) *Non exponendus* infans suscipiebatur, *i. e.* humo tollebatur, *patriqve, vel qvi patris vice, ferebatur, qvi illum ulnis excipiebat, indolemque & fortunam ex vultu auguratus, indito nomine, gentilium baptismo tingendum curavit. Hæc susceptio infantis, qvæ semper lustrica, utpote cujus finis proximus erat baptismus gentilium, ejusqve comes nominis impositia, & insecuta nutritio, vel paterna fuit, si a patre, vel vicaria, si ab alio infans susciperetur.* 1) *A patre suscepti infantes jura liberorum conseqvebantur. Liberi autem a patre*

non



non susc epti, baurn óborin *dicebantur;*] *hosqve inficiari pater potuit. Susceptos vero & lustratos exponere aut occidere nefas. Matres etiam infantes, absente vel enutriri permittente patre, suscipiebant.* 2) *Susceptio vicaria alienos vel infantes, vel pueros tollebat.* a) *Vicaria infantis susceptio fuit aut* α) *unde baptismalis s. lustrica, aut simul,* β) *honoraria, aut* γ) *nutritia, aut* δ) *adoptiva. Patres ethnicorum lustrici, qvibus Christianorum patrini successerunt, filiis lustricis, etsi nec educandos nec adoptandos suscepissent, certa tamen officia debebant. Suscepto pater lustricus nomen indidit aut suum ipsius, aut alienum; si prius, qvod donatio nominis proprii,* at gefa nafn sitt, *dicebatur, plerumqve simul susceptum aut educandum suscepit, aut adaptavit; non tamen semper.* b) *Vicaria pueri susceptio, s. genupositio,* at knesetia barn, & *qvi susciperetur, genupositus* (knesetningr) *vocabatur. Hæc genupositio triplex: nempe* α) *humilis,* β) *officiosa, &* γ) *pupillaris. Genupositio Borealium, cum in hæreditatem bonorum genuposito nullum jus daret, adoptatio proprie dicta non fuit. Genuponentis officia tria: scilicet,* 1) *educatio tutelaris,* 2) *matrimonii & sortis vivendi pro nascendi sorte honestæ procuratio, &* 3) *vindicta sangvinis. Genupositum suum occidere aut insidiis circumvenire flagitiosum fuit. Nutricatus ergo Borealium olim duplex, nempe* 1) *genupositītius, &* 2) *adoptivus,* (*Not.* 1.). *Maritorum in uxores dominium, ut apud Romanos maximum, ita apud Boreales magnum. Romanis qvidem in uxores potestas tanta, ut hæ, qvippe cum in manu mancipioqve mariti constitutæ, capite deminutæ censerentur,* (*Not.* 2.). *Claves apud Romanos uxori in nuptiis traditæ, & in divortiis redhibitæ fuerunt,* (*Not.* 3.). *Utrumqve ritum, dispensationis penuariæ uxori mandatæ vel ademtæ symbolum habuerunt Boreales,* (*Not.* 4). *Præter autem hanc potestatem clavium, qvæ* rád innan-stocks *dicta, pauca in uxoris arbitrio posita fuerunt. Injussu enim mariti, nec nutrire liberos, nec elocare filias aut generos eligere, nec domo longius abire, nec rebus civilibus, aut a moderamine penuario & disciplina domestica diversis, & forinsecus* (utan-stocks) *agendis se immiscere, uxori jure licebat,* (*Not.* 5. 6. 7. 8.). *Fuerunt autem viri, tam in uxores nimis imperiosi, qvam uxoribus plus æqvo obnoxii, qvi mariti uxorii,* at hafa qvanriki, *v.* ofqvæni, *dicebantur,* (*Not.* 9. & 10). *p.* 85—109.

§. XXIV.

Boreales, non secus ac Romani & alii, in uxores flagitiosas, veluti adulteras & mariti aut liberorum vitæ insidiantes, jus vitæ & necis habe-



habebant, virqve uxoris judex domesticus ejus delicta leviora ipse pro arbitrio castigavit; graviora in propinqvorum concilio cognosci, &, si divortium intenderetur, in judicio publico æstimari interdum sveverunt, (Not. 1. 2.). *Jus vitæ & necis raro exercuerunt mariti Boreales, uxores enim scelestas repudiabant, & aliis modis cæde mitioribus & decentioribus puniebant,* (Not. 3. 4.). *Polyandriam successivam uxoribus Borealium olim vetitam fuisse, nec Taciti de Germanis testimonium,* (Not. 5.), *nec heroinarum maritis commortuarum, qvarum aliæ violenta & spontanea nece maritos mortuos comitatæ, aliæ doloris impatientia vel subito præfocatæ perierunt, vel lente tabescentes luctu & squalore sensim confectæ sunt, exempla,* (Not. 6.), *nec Oddi monachi in Historia Olafi Trygvini relatio,* (Not. 7.), *nec Eddæ deniqve,* (Not. 8.), *demonstrant. Hinc enim plus non colligitur, qvam qvod fides amorqve conjugalis, cujus mors uxoris spontanea luculentissimum documentum, uxoribus gloriosa fuerit,* (Not. 9. 10.). *Hoc enim non ex debito, sed ex decoro qvasdam heroinas fecisse, docent innumera aliarum exempla, qvæ maritis superstites ad secundas qvoqve nuptias citra opprobrium progressæ sunt,* (Not. 11.). *Nec antiqvissimæ Septentrionis leges, sive Frothonianæ s. Odinianæ, spontaneam viduarum mortem præcipiunt,* (Not. 12. 13.). *Eaqve lex, si unqvam exstiterit, utpote qvæ per divortia uxoribus licita facile eludi posset, parum usus aut valoris habuisset,* (Not. 14.). p. 109—133.

§. XXV.

Maritalis porro in uxorem potestatis duo præcipua capita; nempe jus uxorem 1) *remancipandi,* & 2) *alteri emancipandi. Per legitimas nuptias uxor in manum, i. e. potestatem viri conveniebat; eumqve actum, qvo marito in manum uxor tradebatur, emancipationem Romani dicebant,* (Not. 1. 2.). *Qvæ autem jure contrahuntur, contrario jure pereunt,* (Not. 3.), *maritus potestatem in uxorem, sibi per sponsalia & nuptias traditam, & abdicare, qvod uxorem remancipare; (remancipatio enim genus erat repudii), Romani dicebant,* (Not. 4.), *& non secus ac pater filiam alii marito in manum tradere s. emancipare potuit; qvemadmodum inter Romanos, Cato Marciam Hortensio, Nero Liviam Augusto, & Memmius Regulus Lolliam Paullinam Imperatori Cajo Caligulæ, mariti uxores despondernnt, iisqve, ceu patres filiabus, dotem dixerunt,* (Not. 5.). *Utrumqve jus prisci Boreales habebant ac exercebant; uxores enim & remancipabant s. repudiabant,* (§. XXVI.),

&



& alteri in matrimonium cedebant s. emancipabant. Hæc uxoris mancipatio aut inter vivos fiebat, aut per testamentum, (§. XXIIX. Not. 1. & 2.); *illa vel ultronea fuit, vel coacta. Uxores aliis vivi sponte cesserunt Gramus & Frotho III. Daniæ Reges, nec non Thorgilsus Orrabeini (Plagipedis) Alumnus; uxores autem inter se commutarunt Illugius & Holmstarrius, quæ ultronea uxoris cessio adeoqve reciproca fuit & bilateralis. Ad spontaneam hanc uxoris cessionem referendum est matrimonium fiduciarium; cum qvis alieno nomine assumto uxorem ducebat eo tantum consilio, ut eam a se intactam marito destinato servaret ac traderet: maritus autem personatus uxori noctu accubans aut nudo ense, aut sponda saltem intermedia, ab uxore sejungi solebat. Verum non modo uxor legitime ducta, sed & pacta matrimonii conditio, alteri vel donari,* qvod at gefa audrum ráda - haginn *dicebatur, vel testamento legari potuit, ad quod tamen foeminæ ejusve tutoris consensus necessarius fuit. Coacta uxoris cessio fiebat, qvando qvis alterius uxorem suam esse cupiens marito denuntiabat, ut aut certamine singulari (plerumqve rigido) secum consligeret, aut uxorem sibi concederet; qvi modus acqvirendi matrimonii olim legitimus;* at skora á-hólm til kono *vocabatur; qvod si arenam duelli maritus formidaret, uxor erat provocanti cedenda, quæ uxoris cessio marito cedenti probrosa semper fuit,* (Not. 6.). p. 133—146.

§. XXVI.

Conjugium solvebant mariti vel solennibus divertendi ritibus non adhibitis, vel iisdem adhibitis. Si absqve divortiorum ritibus uxorem maritus, aut ipse sive palam sive furtim abiens desereret, aut repudiatam ad suos remitteret, aut præsenti vel cohabitare nollet, vel novam uxorem publicis nuptiis super induceret, divortium usuarium Romanis, at láta kono eina *Borealibus vocabatur. Omne uxoris repudium cum affinitatum contumelia & offensa conjunctum fuit, & repudiatæ jus ad novas nuptias dedit,* (Not. 1—6.). *Sin uxorem remancipans ritus divertendi solennes adhiberet, divortium legitimum,* at segia skilit vid konu, *Boreales dixere. Modus conjugium solvendi apud Romanos triplex: nempe diffarreatio, remancipatio, & usus. Remancipationis romanæ ritus sex: solebant scil.* 1) *tabulæ dotales confringi,* 2) *claves adimi,* 3) *dici solennia verba, eaqve vel* 4) *per libertum pronuntiari, vel* 5) *per nuntium missum uxori notificari, &* 6) *septem præter libertum testes, cives Romani puberes, adhiberi. Borealium autem legitime*

divertendi ritus tres fuerunt: nimirum 1) *verba concepta s. solennis divertendi formula,* 2) *testes nuncupati,* & 3) *locus divortium renuntiandi. Hic autem triplex: nempe* 1) *ante lectum mariti, s. thorum genialem,* 2) *ante fores ædium principes* (karldyr), & 3) *in foro publico; idqve vel in comitiis tribulibus, vel universalibus: rarius tamen in omnibus his locis, sed uno saltem alterove divortia olim renuntiata leguntur,* (*Not.* 7. 8). *Divortia legitima justas & sonticas divertendi causas reqvirebant. Hæ,* brautgángs fakir *Borealibus olim dictæ, fuerunt delicta graviora, defectus naturæ. & qvæcunqve uxorem matrimonio indignam aut inhabilem redderent, ex. gr. adulterium, insidiæ marito aut liberis structæ, si liberos supposuisset, alendos sustulisset aut exponendos aluisset, si filiam injussu mariti nuptum dedisset, nec non veneficia, sterilitas, senectus, morum asperitas,* & *alia,* (*Not.* 9. 10. 11.). *Si* 1) *conjugium illegitimum uxoris repudio solveretur, fuissetqve sterile, dotem, qvam nullam acceperat, nec reddebat maritus; si liberi essent communes, hi illegitimi erant & matrem seqvebantur; dos nulla vel accepta vel reddita. Qvando* 2) *matrimonium legitimum divortio maritus discinderet, a) illudqve fuisset improle, si ob flagitia uxor ejiceretur, (aut ipsa temere diverteret, vel in divertendi ritibus solennibus qvid peccasset), dote privari potuit; b) ubi vero foecundum fuisset conjugium, si liberos communes, qvi legitimi, α) pater retineret, matre ob causas divertendi sonticas expulsa, dotem maritus retinebat; sin β) liberi cum matre simul ejicerentur aut desererentur, non modo dotem uxori reddere, sed insuper de bonis suis pro liberis alendis pecuniam matri cedere pater tenebatur. Citra casus jam memoratos in omnibus divortiis, sive legitimis sive usuariis, dos uxori cedebatur tanta, qvantam conventiones sponsaliorum pecuniariæ desiniverant. Adeoqve vel dimidia bonorum communium pars, vel si uxor* mála-kona *fuisset, dos non tantum profectitia sed & adjectitia, qvæ dimidiam profectitiam plerumqve æqvabat, nec non peculium uxoris, nempe, tam pherna & antipherna; qvam parapherna, post divortium a marito reddenda fuit. Dotem maritum reposcere tutor & cognati uxoris divertentis debebant, qvod* at giöra fiárfkipti med hiónum *Boreales vocabant,* (*Not.* 12. 13.). - - *p.* 146—164.

§. XXVII.

Divertendi jure etiam uxores gaudebant, poterantqve maritis tam divortium legitimum, nempe ritibus divertendi adhibitis, renuntiare, qvam absqve ritibus maritos deserendo matrimonium usu dissolvere, (*Not.* 1.). *A maritis divertendi causæ uxoribus fuerunt aut legitimæ aut æqvæ; illæ vel a parte mariti, ex. gr. diversa sacra,* (*Not.* 2.), *officia conjugalia uxori denegata,* (*Not.* 3. 4.), *vestitus muliebris,* (*Not.* 5.), *illiberalis & sordida uxoris tractatio,* (*Not.* 6.); *vel a parte uxoris, qualis senectus & valetudo, dispensationi & disciplinæ domesticæ non sufficiens, qvam ob rem claves abdicare s. conjugium deprecari,* at beidaz úr búi, *uxori licebat,* (*Not.* 7.). *Æqvas discedendi causas uxori dedere, thori coactio patris aut tutoris imperio facta,* (*Not.* 8.), *senectus mariti, ejusve ignavia uxori ignominiosa,* (*Not.* 9. 10.), *pellicis imperiosæ fastidium, auxilium necessariis aut amicis negatum,* & *alia,* (*Not.* 11.). *Haud tamen uxoribus tanta, qvanta mari-*



mhritis, divertendi licentia fuit; uxor enim temere deserens & dote privari, & a marito invita retrahi potuit, (Not. 12. 13.) p. 164—178.

§. XXVIII.

Potestatem patriam per nuptias sibi traditam maritus per divortium uxorem remancipando potuit amittere, & alteri emancipando in novum maritum transferre. Fuerunt etiam, qvi uxorem alteri testamento legaverint, ad qvod tamen consensus uxoris fuit necessarius, (Not. 1. 2). *Hoc testamentum interdum confirmavit voluntas principis significata, cujus auctoritas majestatica in contrahendis matrimoniis plurimum sæpe valebat,* (Not. 3). *Matrimonio per divortium aut mortem mariti soluto, potestas patria cessavit; non enim sub potestatem patriam, sed sub tutelam patris aut alius vidua recidebat, ita ut absqve auctoritate patris vel tutoris denuo nubere vidua non posset, sed nec ad novas nuptias invita cogi. Potestati igitur patriæ tutela successit. Tutela virili vidua vel indiguit, vel non indiguit; erat autem tutela foeminæ in universum triplex: nempe tutela sangvinis, pactitia, & electiva. Tutela sangvinis primum ad patrem, inde ad filium adultum, hinc ad fratrem, avum paternum & maternum, patruum atqve avunculum, indeqve porro ad mares pro gradu cognationis transibat, ita ut ordo successionis tutelaris inter mares adultos ordinem ab intestato succedendi secutus videatur. Vi pacti tutela foeminæ in nutritium transferebatur, sive nutricatus esset adoptivus, sive genuposititius; maxime si tutorem sangvinis non haberet foemina, vel ab eo negligeretur, vel hic qvamcunqve ob causam potestate tutelari exuendus videretur. Tutore sangvinis & pactitio destituta foemina ipsa vel ex amicis tutorem eligebat, vel, maxime si annis, opibus & auctoritate polleret, semet ipsa tuebatur, utpote qvæ tutela virili non indigeret. Cæterum virilem tutelam nubendi arbitrium & auctoritas seqvebatur; qvem enim foemina tutorem, eum etiam nubendi habebat auctorem,* (Not. 4. & 5.) p. 178-188.

§. XXIX.

Uxores Romanæ & Boreales, imperio mariti qvantumvis obnoxiæ, adeo ut repudiari & alteri emancipari qviverint, qvod tamen jus mariti per divortium uxori licitum coërcebatur & rarius exercitum fuit, etsi, inqvam, in manu mancipioqve (undir handar-jadri) *mariti essent, nevtiqvam tamen fuerunt res mancipi, qvæ per æs & libram mancipari* (Not. 1.), *aut apud Boreales in servitutem obnoxiam venundari* (seliast mansale), *vel redigi* (at þiást), *cujusmodi mancipiis vetus Septentrio ob piraticos excursus abundabat, potuerint,* (Not. 2. 3. 4.). *Officia mariti fuerunt:* 1) *uxorem, ut honoris & bonorum consortem, digne & liberaliter habere, ipsiqve sumtus ad alimenta, vestes & mercedem familiæ necessarios sufficere* (Not. 5.): 2) *uxorem, qvæ qvidem in jus vocari* (Not. 6.), *non autem causam in foro agere, qvippe ab omni officio & magistratu civili, non autem sacro, exclusa, potuit, omnimodo patrocinio tueri, ejusqve culpam redimere, omnemqve læsionem & ignominiam averruncare & vindicare,* (Not. 7. 8.) p. 188—204.

§. XXX.

Effectus matrimonii a parte uxoris fuerunt jura & officia uxorum. Foemina per justas nuptias fiebat húss-freyia *o: materfamilias,* (Not. 1), &



& jus matronale consequebatur. Jure matronali continebantur, 1) *dignitatis & honorum mariti communio,* 2) *potestas clavium,* 3) *potestatis herilis, &* 4) *patriæ participatio,* 5) *facultas legitime divertendi, &* 6) *jus dotem vel partem bonorum per sponsalia stipulatam post divortium aut mortem mariti retinendi. Honorem maritorum participabant uxores in conviviis, spectaculis, & quolibet celebri consessu, ubi viris pro officio, auctoritate & natalibus, foeminis autem pro maritorum, si nuptæ, innuptis pro patris dignitate, suus assignabatur locus. Borealium convivia olim fuerunt varia, vel* 1) *pro fine diverso, ex. gr.* blót-veitsla, *convivium sacrum s. sacrificatorium;* festar-öl, *convivium sponsalitium;* brúd-kaup, *nuptiæ;* erfi v. erfis-öl, *convivium parentale;* heimbod & vina-bod, *convivium amicum, &c. Vel* 2) *pro tempore, qvo celebrata sunt, ex. gr.* haust-bod, *convivium autumnale;* jóla-bod, *convivium Jolense, &c.* (Not. 2) . . . . p. 204—211.

SPECTACULA *veterum Borealium etiam diversa & multa. Horum triplex in universum genus: nempe ludi, exercitia militaria, & pugnæ. Ludi fuerunt vel publici vel privati; hi autem inter spectacula non numerandi.*

I) Ludorum *celebriores fuerunt seqventes:*

1) Skinn-dráttur, *ductus corii. Hujus duæ species; nempe* hráskinns-leikur, *ludus crudi corii, &* reip-dráttur, *ductio funis. a) Crudo corio ludentes viri, vel α) crudas animalium, ex. gr. taurorum, ursorum, eqvorum, recens mactatorum pelles summo nisu in diversa ductabant, usqve dum corium aut rumperent, aut unus alteri extorqveret; vel β) pellem lubricam, incedentis pedibus substratam, celeri tractu corripientes, cadendi periculum insistenti fecere; vel γ) crudas animalium pelles complicatas & constrictas in pilæ modum inter se jactabant. Hæc vetustatis & feritatis giganteæ ludicra fuerunt. b) Funis ductandi certamen,* (reip-dráttur), *vel statarium fuit, vel cursorium: α) statarii, qvod funiculorum certamen Saxo appellat, gemina species, parvo qvidem discrimine. Aut enim circulum funalem, aut funem simplicem distendebant.* א) *Prius,* at toga haunk vid einn, ב) *posterius,* at draga reip vid einn, *speciatim vocabatur: Cæterum stataria hæc funis ductio, qvæ apud Boreales ad heroicam & historicam ætatem descendit, Romanis Græcisqve haud fuit ignota. β) Cursoria funis ductio choreæ genus fuit, qvam* hring-brot *Boreales vocabant. Huic Græcorum & Romanorum saltatio, qvam restim ductare dicebant, magisqve forte antiqvissimus Græcorum* κορδαξ *s.* κορδακισμος *respondet.*

2) Hnútu-kast, *ludus convivalis perantiqvus, gigantibus & athletis solis usitatus.*

3) At vada bál, *s.* eld loganda, *pervadendæ flammæ periculum, ludi genus antiqvum, ejusmodi athletis, qvi berserki olim audiebant, solenne.*

4) Glíma, *lucta,* παλη. *Hæc vel ludicra, vel seria; seria s. monomachia inermis ad pugnas referenda. Ludicræ autem duæ species: nempe lucta erecta, & lucta super pavimento. a) Lucta erecta iterum duplex: scil. lucta brachialis, & lucta ordinaria. α) Lucta bra-*



brachialis, *quam Boreales* lauſa-tauk *vocarunt*, *pancratii ſpecies fuit*, *& impellendo raptandoqve*, (*veteres* ſviptingar *dixere*), *adeoqve robore corporis maxime conſtabat.* β) *Lucta ordinaria*, rett glíma *ſ.* fáng, *magis agilitate & exercitio*, *quam viribus nitens*, *varias ſupplantandi artes*, *ſtrophas ac technas luctatorias habuit*, *qvæ olim* braugd, *dan.* Sving *v.* Sned, *dicebantur. Utraqve hæc lucta*, *ſaltem ordinaria*, *Græcis Romanisqve olim notiſſima; utraqve a conflictu luctatorio*, *ſ. a lucta pugillari*, *Anglis & aliis hodieqve uſitata*, *qvæ olim* áſlog, *dan.* Slagsmaal *dicta*, *diſtingvi debet.* b) *Lucta ſuper pavimento triplex:* α) *Lucta ſedentaria; hæc cum illa Græcorum*, *qva palæſtritæ in genua ſubſidentes luctabantur*, *comparari poteſt;* β) *Anaclinopale ſ. lucta felina*, *Martiali memorata;* & γ) *reluctatio ſubjacentis ſ. proſtrati qvam veteres* umbrot *dixere. Verum illa jacentium luctatio in lucta ſeria maxime locum habuit*, *fuitqve neceſſitatis ac virium magis*, *quam artis certamen. Ungventis ad luctandum ſe non præpararunt Boreales. Luctam ludicram leviter veſtiti*, *ſeriam amiculo craſſiore*, *qvi* fánga-ſtackur *dictus*, *induti obibant.*

5) Knatt-leikur, *ludus pilæ*, σφαιρομαχια. *Boreales non ſecus ac Græci Romaniqve pila ſtudioſiſſime*, & *qvidem raptim ac expulſim luſitabant; pilamqve volantem geminabant clava ſ. flagello*, *quod* ſopp-drepur, knatt-drepill, *item* knatt-tre, *dicebant. Borealium autem pila lignea*, *aut ſaltem perqvam ſtricta*, & *Romanorum folli*, *aut aliis*, *vento*, *pilis aut lana refertis*, *longe gravior fuit.*

6) Danns, *ſaltatio ſ. chorea. Hujus ſpecies* hríng-brot. *Saltationes etiam muſicas habuerunt Boreales*, *qvorſum orbis ſaltatorius*, *olim* viki-vaki, *pertinet*, *qvem cum Lacedæmoniorum* ορμω *confert Arngrimus Jonæ.*

7) Handſaxa-leikur, *ludus (trium) gladiorum. Huic agnata videtur Germanorum ſaltatio inter gladios & frameas*, *Tacito memorata. Hæc autem nihil aliud fuit*, *quam ſpecies qvædam Pyrrhichæ*, *Romanis Græcisqve ſatis notæ*, *qvam ſaltationem panathenaicam*, *bellicrepam*, *enopliam*, *auctores vocant*, *cum troja*, *ludo circenſi & eqveſtris pugnæ ſimulacro*, *minime confundendam.*

8) Sund *v.* ſundfæri, *natatio. Hujus artis duplex exercitium & certamen: nempe*, *qvo qvis longius ſpatium natando permetiri*, & *qvo diutius ſub aqvis durare poſſit. Illud* a) láng-ſund, *hoc* b) kaf *ſ.* kaf-ſund (*urinatio*) *dicebatur. Boreales natando certantes unus alterum merſare*, *merſumqve detinere*, (at fœra í kaf oc halda nidri), *imo ſubter aqvis luctari ſolebant.*

9) Hlaup, *ſaltus. Cujus triplex periculum edebatur: nempe*, *qvo qvis altius*, *aut* a) *ſurſum exſilire*, *aut* b) *ex loco edito deſilire*, *aut* c) *qvo longius tranſilire poſſit*, *ſive* α) *prorſum*, *ſive* β) *retrorſum*, *ſive* γ) *oblique & in latus corpus ſaltu transmitteret. Saliendi exercitium Borealibus in præliis terreſtribus æqve ac navalibus egregium præſtitit uſum.*

10) Skeid, *curſus. Currendi exercitium & certamen duplex*, *ſcil. vel* a) *vulgare*, *qvod ſola pedum pernicitate conſtabat*, *vel* b) *artificiale. Curſus artificialis fuit* α) *curſus ſalticus bacularis;*



unde magnatum hodieqve curſores bàculis inſtruuntur. β) *Curſus xyloſolearum, dan.* Skielöben; *unde Finni, qvibus hæc ars præ cæteris familiaris, olim Scritofinni* (Skrid-finnar) *appellati ſunt.* γ) *Ars oſſibus cruralibus per glaciem currendi,* at renna á islegginum. *Hæc ſimplex & rudis artis, qvæ* at löbe paa Sköiter *dicitur; origo.* δ) *Exercitium pedibus non armatis glaciem perlabendi; dan.* Fodſkred, *olim* Fót-ſkrida. ε) *Curſus manuarius ſ. chirodromia,* handa-hlaup: *ludicrum hodieqve ſuperſtes.*

11) At gánga utbyrdis eptir árum; *ars per remos a nautis agitatos extra latera navis incedendi.*

12) Bratt-geingni, *ars rupes arduas & prærupta montium ſcandèndi.*

13) *Ludicra puerilia, pleraqve Græca & antiqviſſima: ex. gr.* *aſcoliasmus ſ. empuſæ ludus,* at hoppe paa det eene Been; *dielcyſtinda,* at trækkes i Hænderne; *apodidracinda,* at leege Skiul; *myinda,* at leege Blindebuck, *olim* ſkolla-leikur; *oſcillatio,* Gyngen, *olim* róla; *epoſtracismus,* at ſlaae Plæder. *Prætereaqve cindalismus, baſilinda, chytrinda; nec non larva, oſtracinda & ſchoenophilinda*

II) *Secundum ſpectaculorum genus fuere* exercitia militaria, *qvorum genus triplex: nempe, ſagittas arcu mittendi, tela manu vel funda jaculandi, & digladiandi exercitatio.*

1) *Sagittas arcu miſſuri, qvod* boga-ſkot & örſkot *dixere, in clivo qvodam* (ſkot-backi) *tabulam ad ſcopum* (ſkot-ſpónn) *erigebant, certumqve intervallum* (ſkot-mál) *deſtinabant. Duplex autem artis exercitatio & præſtantia: nempe a) ars ictu certo deſtinata feriendi, olim* hæfni *dicta, & b) ſagittas ictu acri procul & in longum expediendi, qvod* hard-ſkeyti *vocabatur.*

2) *Arma manu jacula mittendi ars duplex: aut enim haſtas ſ. tela cuſpidata, aut lapides manu projiciebant. a) In telis cuſpidatis, qvorum formæ & nomina perqvam multa, jaculandis, multiplex ars & exercitium. Nimirum, qvo* α) *certior &* β) *longior ictus, eo præſtantior,* γ) *hoſtilem haſtam ad ſe volantem manu intercipiebant, qvod* at taka ſpiót á lopti *dicebatur;* δ) *utraqve ad jaculandum manu æqve habili utebantur, idqve* at ſkióta jamnt bádum haundum *vocabant; ideoqve bina ſimul jacula in hoſtes ictu certo & valido projicere poterant, qvod* at ſkióta tveim ſpiótum ſenn *dici ſvevit. b) Lapidum etiam in præliis creberrimus olim uſus, qvi prima in pugnis arma fuerunt. Hos aut* α) *manu projiciebant idqve,* at kaſta vapn-ſteini *vocabant, unde hi lapides ſaxa manualia ſunt appellati; aut* β) *fundis excutiebant. Fundæ veterum vel manuales* (hand-ſlaungur), *vel baculares* (ſtaf-ſlaungur) *fuerunt. Ictuum certitudo & projectionis longitudo utrinqve æſtimabatur.*

3) *Digladiatio, olim* ſkilming *vocata. Hæc ars clypeo, enſe v. ſecuri bellica & haſta, tam ad petendum hoſtem, qvam ad ictus hoſtiles excipiendos aut evitandos, cominus dextre uti docebat. Ex ictuum gravitate & numero artis peritia cernebatur. Qvidam manus ambas ad cædendum æqve promtas ſibi faciebant, qvi ambidextri milites,* at göra ſer bádar hendor jamn-fimar til

vigs,



vîgs, *dicebantur. Hæc militarium artium specimina & certamina, qvæ* at reyna iþróttir *vocabantur, publice exhiberi solebant; qvibus spectaculis etiam foeminæ interfuerunt.*

III) *Tertium spectaculi publici genus dedere* pugnæ: *hæ fuere vel singularia virorum certamina, vel pugnæ bestiariæ; illa andromachiam, has theriomachiam Græci dixere.*

1) Andromachia *duellorum publice spectari solitorum qvatuor species continebat. Hæ fuerunt,* a) *monomachia legalis rigida, olim* Holmgánga, *qvæ certis legibus adstricta, cærimonias & ritus qvosdam sacros comites habuit. Inter hos ritus fuit taurus, post victoriam a victore iisdem, qvibus hostem vicerat, armis sacrificandus, olim* blót-naut *dictus, qvi non solum fuit devota diis, victoriæ auspicibus victima, verum etiam victori in præmium victoriæ cessit. Ejusmodi tauros victimales, in certaminibus ad spectaculum editis præmium victoriæ proponi & diis voveri solitos, Romani veteres noverunt; qvi tauri cornua deaurata interdum habebant, qvales etiam diis in Septentrione mactatos esse, Edda Sæmundiana testis.* b) *Monomachia exlex s. libera* einvígi *dicebatur, qvam nec leges, qvales monomachiam rigidam, coërcebant, nec cærimoniæ sacræ comitabantur. Utraqve hæc monomachia, non solum a definito certantium comitatu, vulgo* Secundanter, *sed a magna qvoqve aliorum visendi cupidorum, inter qvos etiam foeminæ, frequentia spectari solebant.* c) *Pugna labri s. doliaris, olim* ker-gánga, *qvæ proinde opertanea fuit. Hujus non absimilis propago esse videtur pugna, in Norvegia ad nostram usqve memoriam superstes, qvæ,* at spænde Bælte med sin Naboe, *dici solet.* d) *Monomachia inermis, s. lucta seria. Verum poenalis hæc pugna non tam ad andromachiam, qvam theriomachiam esse referenda.*

2) Theriomachia late sumta *fuit duplex: aut enim homines cum feris, aut feræ inter se decertabant; prius ludum bestiarium late, posterius theriomachiam stricte sumtam vocaveris. In* a) *ludo illo bestiario aut cum feris hominibus, aut cum veris bestiis pugnabatur.* α) *Ad pugnam cum feris hominibus pertinet lucta seria cum blamannis s. monomachia inermis. In hoc spectaculo poenali & amiculum luctatorium* (fánga-stackur), *& petra luctantium* (fánga-hella), *cui luctantium unus alterum, pronum v. supinum impingere satagebat, adhibita sunt. Blamanni autem non Mauri, Æthiopes aut Nigritæ fuerunt, sed homines vastæ molis & roboris, qvi ob atrocitatem & feritatem non pro humanis hominibus, sed pro bellnis giganteis habiti sunt, ex Scythia interiore vel boreali huc advecti.* β) *Boreales etiam cum feris pugnabant, qvo spectaculo, Græci Romaniqve olim delectabantur, vel coacti ad spectaculum poenale, qvod ludum bestiarium stricte, vel ad oblectationem, qvod theriomachiam oblectaneam dixeris.* א) *Bestiis ad poenam & spectaculum commissi Boreales, cum ursis plerumqve inter natandum certare jubebantur. Interdum etiam inermes & manibus vincti canibus dilacerandi objiciebantur.* ב) *Ad theriomachiam oblectatoriam referas venationes & aucupia, qvæ regibus & prin-*



principibus in Septentrione olim in deliciis & honore fuerunt. b) *In theriomachia stricte aut eqvi aut aliæ feræ ad spectaculum certabant.* α) *Eqvaria contentio, qvam hippomachiam late dixeris, aut fuit eqvorum pugna, aut eqvitantium certamen.* ℵ) *Eqvorum inter se pugna s. hippomachia stricte, percelebre fuit veterum Borealium spectaculum, qvod* hesta-at, hesta-víg & hesta-þing *dixere. In hoc eqvi admissarii, præsentibus, qvibus nuper consvevissent, eqvabus, depugnabant; suus utrumqve a tergo vir seqvebatur, qvi stimulo eqvario* (hesta-staf) *eqvum ad pugnandum incitabat, altera autem manu cauda eqvi prehensa pugnantem fulciebat.* ℶ) *Eqvitantium contentio aut vulgaris fuit, aut artificialis.* a) *Vulgare eqvitandi certamen* kapp-reid *dictum, in qvo vel animi gratia vel posito pignore certabatur, uter eqvitantium condictum spatium citius permetiri posset.* b) *Eqvestre certamen artificiale, qvalia Romani certamina circensia v. eqviria dixere, Boreales* burt-reid, útreid, *item* turniment *vocabant. Hujus freqventem satis mentionem injiciunt historici Boreales, illi autem maxime, qvi vel fabulosa aut exotica venditant, aut tempora religione Christiana longe inferiora describunt. Omnis enim pugna eqvestris, tam seria qvam ludicra, priscis ac ethnicis Borealibus rara aut etiam ignota fuisse videtur.* β) *Aliarum etiam ferarum, ex. gr. gallorum, falconum, canum, ursorum, taurorum, arietum pugnas & spectacula habebant Boreales, sed qvæ viliora & minus solennia fuisse videantur. In plerisqve omnibus his spectaculis foeminæ spectatrices, loco a viris segregato sedebant; in qvo publico foeminarum consessu, qvin ordinis pro dignitate mariti aut natalium, non secus ac in conviviis, respectus fuerit, dubitari neqvit.* (*Not.* 3.). - - p. 211—263.

Clavium porro potestate gaudens uxor (*Not.* 4.), *jus etiam in familiam domesticam ut mater-familias habebat. Familiam domesticam famuli* (verk-menn), *famulæ* (grid-konur), *servi* (þrælar), *servæ* (ambáttir), *nec non liberi constituebant. Jus igitur in familiam potestatem patriam & herilem in volvebat. Etsi enim suprema in familiam potestas fuerit penes patrem familias, qvi caput erat familiæ; illam tamen potestatem, cujus & potestas clavium & educatio liberorum uxori incumbens egebat, cum marito divisam materfamilias habebat. Potuit igitur uxor absente vel consentiente marito, famulos conducere* (*Not.* 5.), *famulis, servis & liberis operas imperare* (*Not.* 6.), *familiam universam regere, & pro meritis punire ac remunerari* (*Not.* 7.). *Fuit tamen, qvod uxori in familiam non liceret; nec enim famulis, servis aut liberis cædem, furta, rapinas, aut alia flagitia imperare potuit* (*Not.* 8.); *nec jus vitæ & necis in servos, aut eos manumittendi jus habebat uxor, nisi hi servi uxori essent peculiares.* Peculium uxoris, *Græcis* parapherna, *Borealibus* gripir konu, *dictum, continebat res uxoris, qvæ in dotis censum non venere, & qvorum dominium ac usum fructum uxor post nuptias sibi soli retinebat. In hoc peculia numerata sunt* 1) *mundus,* 2) *utensilia & jocolia mulierum,* & 3) *res uxori donatæ, vel ab amicis & cognatis, vel a patre extra dotem, ex. gr. pro dentitione* (tann-fe), *vel a sponso ante nuptias, ut* festar-giöf, *donum sponsalitium, aut inter nuptiarum solen-*

solennia, ut lin-fé, beckiar-giöf, morgun-giöf, &c.; *quæ dona nuptialia Græci* ἐπαύλια δῶρα *vocant. Inter hæc dona uxoribus peculiaria etiam servi & mancipia fuerunt, quos vel pater filiæ, sive pro dentitione sive ad nutricatum & famulatum domesticum, vel sponsæ sponsus pro dono nuptiali dederat. Muncipia nutricia & parapbernica liberis, ut Romani & alii, ita Boreales donabant; cujus ritus antiqvitatem etiam sacræ literæ testantur. In hos servos peculiares & paraphernicos jus vitæ & necis, jus alienandi & manumittendi Borealium uxores habuere, nevtiqvam vero in servas mariti aut communes* (*Not.* 9). *Nec fontes prafugos in tutelam recipere, nec in delictis liberorum connivere, eosve exponendos alere aut alendos exponere, nec filias nuptum dare, injussu mariti uxor poterat,* (*Not.* 10. 11). *Jus matronale retinebant viduæ familiam alentes, harumqve major in famulitium & liberos, qvam uxorum potestas & auctoritas fuit. Viduæ autem, qvarum tutela intermortua, nulla non patris & heri, imo civis, si magistratum civilem & militarem exceperis, jura exercuerunt* (*Not.* 12). *Plus etiam nobiliores qvam ignobiles juris sibi sumserunt; nunqvam enim defuerunt uxores imperiosæ, qvæ jura maritorum ob horum indulgentiam usurparunt,* (*Not.* 13. 14). *Divertendi, & dotem vel partem bonarum per sponsalia stipulatam post divortium aut fata mariti reposcendi facultas, ad matrisfamilias jura etiam pertinebat,* (*Not.* 15. 16). - p. 263--273.

§. XXXI.

His congrua fuerunt matrisfamilias officia, erga 1) *maritum,* 2) *famulos servasqve, &* 3) *erga liberos. Maritis uxores debebant amorem, fidem conjugalem & honorem* (*Not.* 1. 2.), *nec non obseqvium & ministeria liberalia. Nimirum in omni familia domestica foeminæ viris ministrabant; qvod* at þióna manni *vocabatur. Hæc ministeria, qvæ in cura vestitus, capillitii, & corporis medica, constabant, uxor marito, mater interdum filio, fratri soror, hero & heræ famula præcipua, reliqvæqve famulæ reliqvis famulis & hospitibus præstitere. Qvemadmodum vero rei vestiariæ cura univérse foeminis mandata, qvarum non modo lanificum & linificum omne opus, nempe nendi, nectendi, texendi, suendi, sarciendi & acupingendi artes & functiones peculiares fuerunt, ita marito vestes parare, sarcire & servare, uxori speciatim incubuit. Crines porro præcipua studio coluerunt Boreales, non solum mulieres sed etiam viri, virorumqve capillos lavare, comere & tondere, muliebre munus fuit, qvod ministerium mater filio, amasio amata, & universe viris foeminæ, præsertim vero maritis uxores præstabant; qvemadmodum etiam corporis curam medicam, ex. gr. balnearem, sicubi ejus mariti egerent. Hæc ministeria ab uxore sola soli marito præstari, uxoribus decorum, maritis gratissimum fuit. Antiqvi enim Boreales vilis aut invisi hominis officium, sibi qvamvis necessarium, dedignantes respuebant. Ministeria autem, qvæ ab uxore exigere maritus potuit, eiqve præstare uxor tenebatur, liberalia & honesta, minime autem sordida aut matresamilias indigna esse debebant,* (*Not.* 3). *Famulis servisqve matersfamilias debebat mercedem pactam & alimenta, qvæ suppeditare maritorum, dispensare uxorum fuit. Ciborum autem, qvorum custodia, præparatio & dispensatio uxori commissa, diversa fuere genera, alia nempe viliora & qvotidiana, alia*



alia exqvisitiora; hæc festis diebus, in conviviis, nec non hospitibus gratis & honoratis, uti & operariis domesticis post statos & anniversarios labores, neqvid de diversis cibis, certis anni temporibus apud majores nostros catholicos licitis vel illicitis, dicamus, dari solebant, (Not. 4). *Liberos porro communes educare, eosqve, præsertim filias instituere, atqve artes foeminarum liberales docere, matris erat. Hæc mulierum imprimis nobiliorum artificia, olim* handyrdir *vocata, in vestimentis affabre conficiendis, & aureis vel coloratis, qvæ res varias, ex. gr. ædificia, naves, animalia, acies, pugnas & alia repræsentabant, figuris, opere textili, nexili, aut acupictorio, exornandis versabantur. Artis nobilissimæ antiqvitatem in Dania, cum tapetes prævetusti, tum Eddæ Sæmundianæ testimonium edocet* (Not. 5). *Universæ deniqve familiæ disciplinam & moderamen, nec non tutelam ac securitatem domesticam, qvantum potis esset, materfamilias debebat,* (Not. 6.) *p.* 273—285.

EMENDANDA.

Pag. 11. lin. 20. leg. repudii. p. 24. l. 23. Geiram, leg. Thyram. p. 29. l. 7. Geira, leg. Thyra. p. 30. l. 8. leg. Æneid. L. VI. p. 32. l. 25. (sk) leg. (sik). p. 33. l. 21. Nialda, leg. Niala. p. 36. l. 22. (3) leg. (8). p. 38. l. 7. leg. Ynglinga-S. p. 41. l. 22. leg. Yngl. S. p. 43. l. 15. (12). leg. (11). p. 46. l. 1. ob. leg. ab. p. 47. l. 7. leg. Yngl. S. p. 50. l. 7. Vegeti, leg. Pulchri. p. 54. l. 21 leg. commorabatur. & l. 31. Vegeti, leg. Pulchri. p. 59. l. 5. Veg. leg. Pulchr. p. 60. l. 17. Veg. leg. Pulchr. p. 63. l. 15. leg. cyclopeis. p. 64. l. 6. leg. Surson. p. 77. l. 7. adversa, leg. aversa. p. 78. l. 29. leg. transiturus. p. 84. l. 9. care, leg. cave. p. 89. l. 14. Jodisa, leg. Josrida. p. 112. l. 21 Gaukii, leg. Giukii. p. 117. l. 13. leg. consiliarius. p. 118. l. 1. leg. caeterum. p. 120. l. 10. leg. cumulatam. p. 121. l. 17. leg. vivum. & l. ult. leg. Gunhilda. p. 123. l. 16. Attilæ, leg. De Attilæ. p. 168. l. 1. leg. opinionem. p. 178. l. 13. leg. caeteris. p. 188. l. 4. Ospago, leg. Ospako. p. 197. l. 6. leg. cognatorum. p. 221. l. 26. leg. ipsemet. p. 242. l. 22. has, leg. hæ. p. 271. l. 15. leg. acqvisivit.





